Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

[Paradisi Animae Christianae Medulla]

[Köln]: Kinckius, [ca. 1651]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788775081

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788775081/phys_0001
DFG

36y 459 p 57 ff
42.10.
660
F.m-3421.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788775081/phys_0002
DFG

PARADISI
ANIMÆ
CHRISTIANAE
MEDVLLA

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788775081/phys_0009
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788775081/phys_0010
DFG

Sereniſſimo ac Reverendiſſimo

PRINCIPI

MAXIMILIANO HENRICO,

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

PRINCIPI ELECTORI

S. Rom. Imperii per Italiam Archi-Cancellario, S Sedis Apoſtolicæ.

LEGATO NATO

EPISCOPO & PRINCIPI LEOdienſi ac Hildesheimenſi,

Adminiſtratori Berchtesgadenſi, Comiti Palatino Rheni, utriuſque BAVARIÆ Weſtphaliæ, Angariæ, Bullionis Duci Marchioni Franchimontenſi, Comiti Loſſenſi, Hornenſi &c.

Sereniſſime Princeps Clementiſſime Domine.

PAradiſus animæ Chriſtianæ, quanto cum fructu ſinceræ & ſolidę pietatis hactenus in lucem prodierit, atque adhuc omnium piorum manibus teratur,

testis est non Colonia modò, ubi genitus, ac plantatus est, sed Germania omnis, atque adeo Europa propemodum Universa, in quam mirabili celeritate, magno omnium desiderio, ac emolumento longè maximo pervasit; ut propterea Serenissimus V. Celsf. Patruus FERDINANDVS, gloriosæ memoriæ, Elector, atque Archiepiscopus noster, Princeps Opt. Clementissimus cujus benigno favore, & gratia ultra annos 40. fruitus sum, illum sibi ab Authore pio commendatum, dicatumque, non in patrocinium modò, ac tutelam; sed in usum etiam, atque Exercitium, ut erat veræ ac Christianæ pietatis per omnem vitam inter continuos, atque arduos labores, constantissimus cultor, & varios pios tractatus à me quoque Serenissimæ suæ Celsf. dedicatos clementissimè acceperit, ac diligenter versaverit. Hæc eadem causa est Serenissime Princeps Elector, Domine Clementissime, quare Compendium

Para-

PARADISI hujus hoc est Medullam & succum omnigenæ pietatis à viro pio atque erudito, singulari studio selectum, nulli alteri, quàm Sereniſſimæ V. Cels: nomini inscribere ac dedicare voluerim. Præsertim quod hucusque tantam benignitatem in me, uti & in filium meũ Waltherũ p. m. magnæ spei adolescentem (solatiumque meæ aliquando senectutis) collatam ac derivatam senserim, qui ex gratia Augustiſmi Imperatoris FERDINANDI Tertii jam Canonicus illustris Ecclesiæ S. Gereonis, J. V. *Doctor*, & Romæ in praxi laudabiliter versatus, jam diu â me, in servitium Sereniſſimæ V. Cels: destinatus, sed Deo aliter volẽte, mihi præmaturâ morte ereptus fuit. Patere igitur CLEMENTISSIME PRINCEPS ut *Medulla* hæc ad Exemplum Authoris sui, sub auspicio Sereniſſimi nominis Tui serenionem lucem aspiciat, qui non solum in curam Provinciarum atque oneris & dignitatis, sed etiam

in Exemplar pietatis & Religionis, sereniſſimo Patruo ſucceſſiſti, ut à Te Principe & Domino Clementiſſimo defenſionem, pacem, & tranquillitatem, uti ab Epiſcopo & Paſtore ſuo veræ ac ſolidæ pietatis Exemplum ſubditi accipiant. Quod ut quàm diutiſſimè fiat, Deum Opt. Max. precor, ut Sereniſſimam Celſitudinem Tuam in Eminentiſſimo Electoralis atque Archiepiſcopalis dignitatis faſtigio, de quo quàm ſubmiſſiſſimè congratulor, diu felicem, florentemque Imperio, Patriæ, & bonis omnibus ſoſpitet ac conſervet. *Coloniæ Anno M. DC. LI. Pridie Vinculorum S. Petri Apoſt.*

Sereniſſimæ ac Reverendiſſimæ
V. Celſitudinis.

Devotus Cliens

JOANNES KINCKIUS
Biblipola Colon.

COL-

COLLOQVIVM AUCTORIS & LECTORIS de fructibus seu argumento hujus Paradisi Medulla.

AUCTOR. Quisquis est Homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos, tollat & legat hujus PARADISI nostri Fructus.

LECTOR. Timeo & contremisco, audiens PARADISI FRUCTUS: memini enim quot & quantas in universum mundum invexerit miserias fructus ille Paradisiacus de Arbore vetita decerptus: ad quem tollendum & legendum prôh quàm speciosis verbis alliciebat Evam & per hanc Adamum progenitores nostros fallax ille & deceptorius serpens. Undè non temerè ad ullos PARADISI Fructus extendam manus.

AUCTOR. Pone timorem, pie Lector, non enim ad Fructus vetitos, ut ille, sed licitos & salutares invito.

LECTOR. Non fidam, nisi PARADISI tui Fructus, quales verè sint, verbis clarioribus depinxeris.

AUCTOR. Faciam quod postulas: attentas itaque præbeto aures.

Septemplices produco Fructus, quos te car-

carpere suadeo, & colligere opto: Singulos singulæ hujus Libelli Sectiones ad septenarium numerum reductæ, complectuntur.

Primus Fructus, de quo in Sectione *Prima* agitur, in cultu SS. Trinitatis; Alter, de quo in Sectione *Secunda*, in veneratione Angelorum, cæterorumque Cælituum; *Tertius*, de quo in tertia Sectione, in exercitio Pœnitentiæ; *Quartus*, de quo in *Quarta* Sectione, in Actibus Virtutum; *Quintus*, de quo in Quinta Sectione, in adoratione & sumptione Sacrosanctæ Eucharistiæ, Sacræque Missæ Auditione & Celebratione; *Sextus*, de quo in Sexta Sectione, in memoria Christi Passionis, *Septimus* denique de quo in Septima Sectione tum in cultu Deiparæ Virginis Mariæ, tum in Mortis meditatione consistit.

An non hi insignes & innoxii sunt Fructus? Quis ab his abhorreat ad cælum aspirans? Quis Dei & salutis suæ cupidus, carpere recuset?

De Primo dicit Christus Luc. cap. 4. vers. 8 *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

De altero ait Iacob Gen. 48. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Et Iob. 5. 1. *Ad aliquem Sanctorum* se *convertere* jubetur.

De

De tertio ait iterum Christus Luc. 13. 5. *si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

De quarto ait Apostolus Paulus ad Rom. 6. 12. *non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; Sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ* (quo verbo omnis Virtus intelligitur) *Deo* &c. Et Eccle. 18. 22. *non impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari.*

De Quinto ait Christus Ioann. 6. 54. *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* &c.

De Sexto ait iterum Paulus Hebr. 12. 2. & 3. *aspicite in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta,* &c. *recogitate eum, qui talem a peccatoribus adversum semetipsum sustinuit contradictionem* &c.

De Septimo denique dicitur illud Prov. 8. 35. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* De Morte, aliisque Hominis extremis ait Eccles.

7. 40.

O Vitales itaque Fructus! Fructus sine fastidio quærendi, cum aviditate desiderandi, cum voluptate comedendi. Adhuc horres hos carpere Fructus ex hoc nostro PARADISO?

LECTOR. Minimè; sed potius concupiscit animus tam salutares Fructus, quos utinam comedam, donec me satiet Dominus ab ubertate Domûs suæ, & torrente voluptatis suæ me repleat in cælestibus!

AUCTOR. Deus impleat desiderium tuum; sed memento tamen pro varietate dierum in Hebdomade, variari posse Exercitia in hoc PARADISO, ita ut Die Dominica in iis, quæ Prima Sectio de SS. Trinitate; Feria II. in iis, quæ Secunda Sectio de cultu Angelorum & Sanctorum (& sic consequenter de cæteris) complectitur, te exerceas.

Vale.



PARA-

INDEX MEDULLÆ PARADISI ANIMÆ CHRISTIANÆ

SECTIO I. PRO DOMINICA

Complectens Meditationem Orationis Dominicæ, Litanias, aliasque Orationes & Exercitia Pietatis.

Continet in omnibus Sectionibus Cap. 1. Medit. in Orat. Dom. 2. Litanias &c.

CAP. 1. Meditat. in Orat Dom. ex S. Paulo.

CAP 2. Litaniæ ad S Trinitatem. pag. 6.

Ad Deum Patrem. pag. 12.

Filium. pag. 16.

De Spiritum. pag. 22.

CAP. 3. Rosarium S. Trinitatis. 28

CAP. 4. Oblationes sui ad SS. Trinitatis. 30

CAP. 5. Modus Aspirandi ad Intimam cum Deo Vnionem per XII. Actus interiores Variarum Virtutum ex Blasio Palma. 34

Actus 1. Puræ intentio. 2. Fidei 3. Spei & confidentiæ. 4. Amoris. 5. Adorationis. 6. Laudis & gratulationis. 7. Gratiarum Actio. 8. Oblationis. 9. Resignationis. 10. Delectatio de Deo. 11. Zelus honoris & salutis animarum. 12. Timoris Dei.

CAP. 6. Contemplatio piissima Attributorum

rum Dei ad affectus & actus Virtuosos eliciendos relata ex Blasio Palma.

Actus. I. *Essentiæ Dei. II. Potentia. III. Sapientia. IV. Bonitas. V. Sanctitas. VI. Benignitas. VII. Providentia. VIII. Misericordia. IX. Justitia. X. Finis Ultimus.*

Cap. 7. Hymni Riithmici I. De SS. Trinitate & S. Spiritu.

SECTIO II.

De cultu & veneratione Sanctorum cum Christo Regnantium in cœlis.

Pro feria Secunda.

Hæc Sectio duas. Complectitur partes. Vnam de cultu & Veneratione SS. Angelorum: Alteram de cultu & Veneratione SS. Hominum.

Cap. 1. Litaniæ de Sanctis Angelis ex S. scriptura Collecta. 81

Cap. 2. Oratio ad S. Michaëlem Archangelum. 86

Cap. 3. Oratio ad S. Angelum Custodem.

Pars II.

De cultu & Veneratione cæterorum Sanctorum.

Cap. 1. Modus recitandi Orationem Dominicam unà cum memoria & veneratione Sanctorum. 88

Cap. 2. Litaniæ De omnibus Sanctis. 94

Cap. 3. Orationes variæ ad omnes Sanctos. 200

SE-

CAPITVM.

SECTIO III.

De Pœnitentia seu conversione Peccatoris & Exercitiis huc spectantibus.

Pro Feria Tertia.

CAP. I. Oratio Dominica Varie ad Vsum Pœnitentium accommodata. 210.

CAP. II. Litaniæ Pœnitentium ex sacra scriptura Collectæ. 217.

CAP. III. Variæ Orationes Pœnitentium. 224.

CAP. IV. Orationes antè & post Confessionem Sacramentalem. 234.

SECTIO IV. *Pro feria IV.*

Hæc Sectio varia Exercitia ad studium virtutum & Christianæ Perfectionis utilia Complectitur.

CAP. I. Exercitia Varia in Orationem Dominicam Gradus ad Perfectionem juxta Seriem Orat. Dom. 243.

CAP. II. Litaniæ Christianarum Virtutum. 256.

CAP. III. Exercitia Piissima seu Praxes & Actus Variarum Virtutum Ex Lud. Palma. Actus I. Compunctionis & Odii Contra Peccata. II. Boni Propositi. III. Humilitatis & Cognitionis sui. IV. Petitionis ad Deum. V. Renunciandi Voluptatibus pro Conservanda castitate. VI. Renunciandi Bonis Temporalibus amore paupertatis. VII. Renunciandi Propriæ Voluntati, ex virtute Obedientiæ.

tiæ. VIII. Aſpiratio mentis in Deum. IX Eliciendi, cum audimus vel videmus aliquod bonum proximi. X. Eliciendi cum audimus vel videmus aliquod malum proximi. XI. Charitatis Eliciendæ ex quacunque re creata bona malaque. 263.

SECTIO V. *Pro feria V.*

De Sacramento Euchariſtiæ

Hæc Sectio docet Praxim tum piè communicandi, tum Celebrandi & audiendi Miſſam.

CAP. I Oratio Dominica Variis Exercitiis & piis Conceptibus ad praxin pie communicandi accommodata. 287

CAP. II. Litaniæ Euchariſticæ tum Sacrificantibus tum communicantibus utiles. 292

CAP. III. Exercitium ante miſſam aut communionem. 304

CAP. IV. Aſpirationes. 315

CAP. V. Exercitium Poſt miſſam aut communionem. 316

CAP. VI. Exercitium Peculiare pro ſacerdotibus ante Miſſam. 328.

CAP. VII. De modo pie audiendi miſſam. 336

SECTIO VI. *Pro feria VI.*

De Vita, Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

CAP.

CAPITVM.

CAP. I. Oratio Dominica diversimode ad Christum ejusque Passionem accommodata, ad 7. Effusiones sanguinis, ad 7. Verba Christi & vulnera. 353
CAP. II Litaniæ. 362
CAP. III. Orationes variæ de Passione Domini. 370
S. Brigittæ 15 de Passione Domini. 373.
CAP. IV. Exercitia Varia ad honorem sacrorum quinque Vulnerum Domini nostri Iesu Christi. 383
Orationes pro avertendis malis Ecclesiæ. 389

SECTIO VII. De B. V. Maria, & Beata Morte

Pars I. De B. Maria Virgine.

CAP. I. Meditatio in Orationem Dominicam. 391
CAP. II. Meditatio in salutationem Angelicam. 396
CAP, III. Litaniæ De B. Maria Virgine. 400
CAP. IV. Orationes variæ ad Beatiss. Virg. Deiperam. 405

Pars II. Sect. VII. De Beata Morte.

CAP. I. Litaniæ Sanis, AEgris, moribundis accommodatæ. 414
CAP. II. VII. Gradus ad Beatam Mortem. 419

CAP.

INDEX CAPITVM.

CAP. III. Exercitia & Orationes pro infirmis tempore mortis. 427
CAP. IV. Protestationes sæpius faciendæ, & maximè ante mortem ab eo qui Christiane vivere & mori desiderat. 432
CAP. V. Aliud exercitium seu Protestatio Infirmi & Moribundi, coram Venerab. Sacramento. 438
Oratio ad Christum post SS. Eucharistiam sumptam. 442
Commendatio animæ. 444
CAP. VI. Indicantur variæ Orationes & exercitia quæ sparsim oppurtuna occurrunt. 445
CAP. VII. Orationes & sententiæ pro vicinis morti, 446
Aspirationes piæ pro agonizantibus. 449.
Oratio à circumstantibus dicenda. 450
Epitaphium hominis Christiani. 453
Itinerarium. 457



PRAE-

EXERCITIUM MATUTINUM.

Singularum SECTIONUM

PRÆAMBULUM

Exercitia mat. & vesp. complectens.

UT recte pieque diem transigas, plurimum refert bene cœpisse. Itaque mane evigilans, protinus diei auspicio DEI memoriam junge, & cave, ne Actionum & Cogitationum primitias alius habeat præter Deum. Male & infeliciter tibi nullus ibit dies, quem Deo auspice cœperis. A fonte enim omnis boni, quid nisi bonum?

Quinque puncta Exercitii matutini.

1. *Sis gratus*, 2 *Cor offer*, 3. *Opus dispone futurum* 4 *Vita peccatum*. 5. *Subsidiumque pete.*

I. GRATIARUM ACTIO.

O AEterne Deus, laudo te, & gratias ex intimis cordis mei visceribus ago tibi, quia me *Creasti* ad imaginem tuam; & pretioso Filii tui sanguine *Redemisti* me: Sed & præter alia innumera beneficia, hucusque tam clementer *Conservasti* me; & hac nocte à periculis malisque me custodiens, ad hujus diei initium incolumem perduxi-

duxisti. Quid retribuam tibi Domine, pro his & aliis omnibus, quæ dedisti mihi?

II. OBLATIO SUI IPSIUS.

Ecce Domine totum libens offero tibi, à quo profluxit omne quod habeo; Corpus, Animam, utriusque vires, & omnes hujus diei Cogitationes, Verba & Opera AD MAIOREM NOMINIS TUI GLORIAM purè & planè refero; ut in his omnibus laudetur & glorificetur nomen tuum benedictum in sæcula: idque in unione omnium operum, quæ Salvator noster in terris in perfectissima charitate pro salute nostra gessit: ut ex abundantia meritorum unigeniti Filii tui, in quo tibi benè complacuit, mea juvetur infirmitas, & defectus suppleatur.

III. DISPOSITIO ACTIONUM.

Sed quid me vis facere, ut placeam tibi? Scio Domine, quia rigidam totius vitæ & temporis rationem reddemus tibi, quando venies positurus rationem cum servis tuis. Et hinc merito vereor, omnia opera mea, sciens quia non parces delinquenti; nesciens autem, quâ horâ venturus sis, & citaturus me, ut reddam rationem villicationis meæ: & quid, si hodie? Itaque cum in hoc statu, N. officio, N. gratia tua vivam, studiis & operibus vocationi meæ congruen-

gruentibus, velut N & N. diligentius incumbam; omnia honeste, & secundum ordinem facere conabor.

Et quia jubes primum quærere regnum Dei: negotiis & curis externis parcius me tradam, ne tempus desit negotiorum omnium maximo, seu curæ salutis & æternitatis. Agnosco enim quia vanum est, curare & lucrari omnia, & te solum, summum bonum perdere. Quin potius præ omnibus & in omnibus te quæret anima mea, O Deus meus & omnia.

IV. FUGA PECCATI.

Utinam, O Domine, dirigantur hodie viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! Et certe non libet ambulare vias peccatorum, vias difficiles, in quibus nil nisi contritio & infelicitas; nam etsi initio videantur bonæ, tamen illarum novissima ducunt ad mortem. Iuravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Avertam oculos meos, ne videant vanitatem: & utinam omni custodia servem cor meum. Scio, has N. & illas N. occasiones sæpius mihi fuisse damnosas; Et quomodo eidem me rursus hodie periculo committam? Nam faciam O Domine, amore tui, cui uni placere, servire, & adhærere desiderat anima mea.

V. PE-

V. PETITIO GRATIAE DIVINAE.

Verum O Domine, quid prodest hæc velle, nisi tu des posse & perficere? Frustra proponit homo, nisi quem gratia tua disponit. Tu nosti fragilitatem meam, quia inops & miser ego sum, nec quidquam sine te facere possum, imò ne cogitare quidem: sed ex te uno est omnis sufficientia mea. Exurge itaque in adjutorium mihi, & efficaci tua gratia vires adde, ut quod volo bonum, feliciter perficere possim.

Tu quoque, O sanctissima Dei Mater, Virgo, & Patrona mea singularis, curam clientis tui suscipe, & monstra te esse matrem. Tuque O Angele custos, qui jussu bonitatis divinæ mei curam suscepisti. Et vos O SS. Patroni mei N. N. mihi præcipuè dilecti, hodie clienti vestro fideliter adsistite, & in viam salutis dirigite. Vestris, quæso, precibus & meritis apud Deum agite, ut ejus gratiæ ductu sic vivam hodie, ut vobiscum vivam, gaudeam, Deumque laudem in æternitate. Amen.



EX.

EXERCITIVM VIRTVTVM

Ingentis meriti & efficaciæ seu actus Heroicus & Pactum cum Deo ineundum.

EX PHILIPPO ROVENIO

Archiep. Philip. Vicar. Holland in Institut. Christ. piet. Et P. Mart. à Matre Dei, *Carm. Excalc. in Gymnas. Phil. Christ. Quos de vi & præstantia hujusmodi Exerc. plenius consule.*

HOmo pius *Deum indesinenter laudare, & modico labore plurimum mereri cupiens hujusmodi* Pactum *cum* Deo *inire potest*; Nempe, *quod ad certa quædam signa v. g. sonitum campanæ, aspectum Cœli, tussionem pectoris, &c. (nam signa pro placito assumi & multiplicari possunt) velit & gratum habeat quodvis opus bonum*; & Deo *gratum, quod unquam factum est, seu hodie fit, aut unquam deinceps futurum est, aut fieri posset. Item, toties se ipsum velle* Deo *offerre; dolere de peccatis; renovare propositum, vota; Deum adorare, laudare, &c.*

Vim & valorem hujusmodi Actus *à contrario colligere licet. Si quis statueret secum, quoties audit campanam, cœlum respicit, &c. toties se velle ratum & gratum habere, quicquid unquam mali actum vel agendum est, optaretque se ejus esse participem, quantæ is se culpæ obstrin-

stringeret! Hoc itaque si in malo tam efficax est, quidni idem bono applicatum immensæ virtutis & meriti erit?

FORMULA

Pacti cum Deo ineundi,

O benignissime Pater misericordiarum, Deus, Dominus, ac Creator meus. ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, in te enim vivimus, movemur & sumus; proindeque supremi jure Dominii omnia serviunt tibi: Hinc & tuus sum ego; uti nunc meipsum trado tibi in servum perpetuum fœdere sempiterno; ut omnia vitæ meæ momenta, & omnia quæ intra me, & circa me sunt, benedicant Nomini tuo. Sed quia præsentis vitæ necessitates minus sinunt mentem indesinenter intendere laudibus tuis, hinc tale PACTUM tecum, mi Domine, inire cupio.

Quoties cœlum suspexero; vel pectus percussero, vel piam imaginem adspexero. Quoties horologium; aut signum Missæ, vel Elevationis sacratissimæ Hostiæ percepero; Rosarium vel librum in manus accepero. Quoties carnem, mundum, vel Dæmonem, me in quacunque materia fidei, spei, charitatis, castitatis, patientiæ, humilitatis. &c. tentantem sensero; &c. Nunc pro tunc declaro, toties me facere & exercere velle omni meliori, quo fieri potest,

est, modo & forma, Actus hosce sequentes etsi forte pro tunc ad hoc mente minus adverterem.

Toties, inquam, gaudeo & gratulor tibi ex animo, ob infinitas perfectiones tuas, quod sis QUI ES, id est, DEUS summè potens, sapiens, bonus, misericors, justus, &c. Summum Creaturæ rationalis bonum. Quod nullius egeas, utpote teipso sat beatus, & sufficiens tibi; nostra autem omnis sufficientia ex te sit.

Gaudeo etiam, Domine, propter opera bona, quæ unquam facta sunt, hodie fiunt, fientque deinceps, propter amorem tui: aliaque omnia, quæ fieri possent abiis quos creasti & creare potuisses; idque ea qua possibile est, perfectione.

Gaudeo ob ea quæ Dominus noster Iesus Christus, Virgo Maria, SS. Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, omnesque SS. & fideles omnes egerunt ad gloriam tuam; nec non ob amorem quo te æternum prosequentur, & laudes, quas tibi in perpetuum dicent.

Offero tibi Omnia sancta Missæ Sacrificia quæ vel hactenus in Ecclesia peracta, vel deinceps usque ad consummationem seculi peragenda sunt; idque animo *Adorandi* & laudandi te uti DEUM supremæ majestatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, &c.

&c. Item *Gratias* tibi agendi; nec non *Placandi*, & bona gratiæ & gloriæ *Impetrandi* à te.

Doleo de peccatis meis omnibus & singulis ex animo, propter amorem tui. *Spero* de infinita misericordia tua veniam. *Propono* cum gratia tua, non amplius offendere te.

Doleo quoque ob tot peccata à mundi initio, hucusque à quocunque homine commissa, iisque te tam graviter offensum. Opto ex animo, ut compensari aliquatenus meo sanguine possent. Vtinam vice cujusque peccati singulis Æternitatis momentis mille tibi obsequia à SS. Angelis, & omnibus Beatis deferantur.

Dimitto ex animo, amore tui, omnibus qui me offenderunt, vel quomodocunque læserunt: & opto illis pro singulis, offensis, à te peculiarem aliquam gratiam, seu beneficium. Et utinam nunquam ipsi tuam offensam incurrant.

In manus tuas commito me, & omnia mea; præsertim finem vitæ meæ, ut disponas de me, uti re maximè tua, in tempore & æternitate, quod tibi placuerit, & visum fuerit fore ad majorem Gloriam tuam.

Postremò offero tibi, quidquid possum melius, & meliori modo; præcipuè verò VITAM, Passionem, & Sanguinem D. N. I. Chri-

Christi in gratiarum actionem pro beneficiis omnibus corporis & animæ, quæ à te hactenus accepi, & deinceps accipiam, præsertim pro charitate, qua ab æterno dilexisti me. Et pro dono perseverantiæ obtinendo; ut tibi inseparabiliter adhæream.

Hunc ipsum Actum, quo ad singula membra, aliaque his implicite inclusa, toties ratum esse volo, quoties aliquod è signis præstitutis, vel præstituendis edidero: imò tot vicibus, quot creaturæ productæ sunt à te, aut produci possunt: quoties spiritum duxero. Denique quoties possibile, vel imaginabile est, id ipsum iterari, ac multiplicari. Atque hoc purè ob amorem tui, omnesque bonos ac sanctos fines, qui ab ullo haberi possent

DOMINE, quod dixi, dictum, factum, gratum, ratumque volo; affectu, effectu, fructuque, quo ad licet, maximo.

Hunc actum hac forma prolixiore, semel in die præsertim mane, vel ante, seu post Sacrum, *exercere sufficit. Sed sæpissime ad signa constituta repetatur; quod haud erit difficile; cum sola & unica mentis directione, seu reflexime fieri possit. Item dicendo,* O Iesu, *vel* O Deus meus & Omnia.

(***)

** ORA-

ORATIO VTILISSIMA,

Qua mane quivis Actiones suas, & omnia Deo commendet, ac Christi Meritis uniat.

Ex precibus German. P. Petri Canisii Soc. IESU.

LAudo te ex toto corde meo, & gratias ago tibi, Domine Deus meus, quòd ex mera gratia cum nihil essem, creaveris me ad imaginem tuam; ita quidem ut æterni & summi Boni, id est, tui ipsius capax essem. Et cùm jam perditus essem, utpote filius iræ, & reus æternæ maledictionis; tu nihilominus ex vi immensi amoris tui, per tuam sanctissimam vitam & passionem, mortem, & pretiosum sanguinem tuum redemisti me.

Denique cum indignus essem omni gratia, & beneficio; imo plenus immunditia, & dignus supplicio; tam benigne mihi Spiritum sanctum, una cum donis ejus largitus es. Et super hæc omnia, æterna mihi in cœlis bona & gaudia præparasti.

Vnde, sicut omne bonum de tua solius manu recipio: ita hoc quidquid est, & me ipsum totum ad laudem & gloriam supremæ Majestatis tuæ vicissim lubens in perpetuum offero.

Obsecro quoque per immensam boni-

ta-

tatem tuam, O benignissime Salvator Iesu Christe; ut hoc die me ab omni peccato custodias, ne perdam gratiam tuam, sed cor meum, & omnem intentionem meam, intellectum, & voluntatem, omnes corporis & animi vires ad tui solius cultum & honorem convertam; ut cogitationes, verba & opera mea tibi per omnia placeant.

Sed quia ob summam imperfectionem meam, non sum sufficiens, quidquam agere, imo ne cogitate quidem, ex me ipso, quod coram oculis divinæ Majestatis tuæ gratum, mihi utile, aut meritorium esse possit; ex te autem est omnis sufficientia nostra; hinc te supplex & humillimè rogo, ut defectui & inopiæ meæ ex infinita abundantia charitatis tuæ, & inexhausto meritorum tuorum thesauro succurrere digneris.

Et sic demum offero & commendo tibi Domine Iesu Christi indigniſſima & ex se viliſſima opera mea; ut tu unias ea dignissimis, & sanctissimis operibus totius vitæ tuæ, in ardentissima & perfectissima charitate factis, qua tu omnia ad salutem nostram operatus es, in medio terræ; pro beneplacito & gloria æterni Patris tui.

Denique quidquid hodie me agere vel pati necesse fuerit, hoc, precor, non tantum clementer suscipe; sed etiam per tuam sanctissimam Incarnationem, Vitam,

Passionem, ac Mortem, meritorium mihi ac salutiferum effice; ut per hoc animæ meæ salus magis magisque juvetur, & omnis vita mea, tuæ sanctissimæ vitæ ac passionis exemplo perfectius conformetur: utque hoc pacto ad procurandam proximi mei salutem, ad pacem & charitatem cum eo servandam magis fiam idoneus. Ante omnia verò, ut divinæ Majestatis tuæ voluntatem, obsequium, & amorem toto corde promovere ac perficere valeam, Amen.

BENEDICTIO

Mane & vesperi usurpanda:

Ex Eodem.

PAx Domini nostri Iesu Christi; & virtus sacratissimæ Passionis ejus. Signū S. Crucis, & Titulus triumphalis Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Integritas quoque Beatissimæ Virginis Mariæ; Custodia SS-Angelorum, præsertim Tutelaris mei; Et suffragia omnium Electorum Dei, sint inter me, & omnes inimicos meos visibiles & invisibiles, nunc & in hora mortis meæ: Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

EX-

EXERCITIVM VESPERTINUM.

VEsperi, *dum cubitum te conferes, cave ne Dei sis immemor, cujus favore hucusque diem & vitam perduxisti; forsan non perducturus usque mane, nisi Deum tibi hoc vespere concilies. Mortis sanè memoriam ipse quodammodo lectus ingerit, in quem velut in sepulchrum nuda membra reponis; & quid est somnus ipse, nisi frater & imago mortis? Nimium temerarius est, qui offenso, & non reconciliato Deo, audet se nocti & somno credere. Quin sic potius ad nocturnam te quietem compara, ac si quis auri insusurret*: Hac nocte repetent à te animam tuam. *Ideoque memento orandum cum Propheta*: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Quinque puncta exercitii Vespertini.

1. *Solve Deo grates, 2. Pete lumen, 3. Discute mentem. 4. Delicti veniam posce 5. Recide malum.*

I. GRATIARVM ACTIO.

O Infinita Bonitas, gratias ex intimo corde ago tibi, pro omnibus beneficiis tuis, quæ mihi indigno hodie, & tota

vita mea tam liberaliter contulisti. Sit tibi laus & gloria, à me, & ab Electis tuis, in cœlo & in terra; & ab omni creatura tua, in sæculorum sæcula.

II. PETITIO LVMINIS.

O Sapientia AEterna, in multis eheu, offendimus omnes; sed delicta quis intelligit? Tu O lux vera illumina tenebras meas, ut videam, & sciam quid desit mihi. Tu nosti omnia abscondita cordis; & omnes gressus meos consideras. Da ergo ut quicquid hodie contra te, cogitando, loquendo, vel operando deliqui, id plenè recogitem tibi in amaritudine animæ meæ.

III. DISCVSSIO CONSCIENTIAE.

O Scrutator cordium & renum Deus; infelix ego peccavi hodie in Cœlum & coram te: Et quomodo possum celare te, qui prævidisti omnes vias meas; & intellexisti cogitationes meas de longe? Quid faciam tibi, O custos hominum? Heu mi Domine, Peccavi, & delicta mea à te non sunt abscondita. Sed & si meipsum dijudico, en reprehendit me cor meum, in his maximè.

Huc examina conscientiam tuam, eoque totius diei decursum repete, ubi fueris, quibuscum egeris, quid cogitaveris, dixeris, feceris expende. Sed memento pro ratione status, officii, seu vo-

ca-

cationis tuæ examen instituere: sic facile, quid commissione, quid omissione peccaveris, agnosces. Item, quid in exercitio Virtutis N. tibi magis necessariæ, quid in exterminatione vitii N. tibi magis infesti profeceris, serio dispice, &c.

IV. PETITIO VENIAE.

O Pater misericordiarum, qui non lætaris in perditione peccatorum, respice me secundum multitudinem miserationum tuarum. Ego omnes offensas hujus diei, & totius vitæ meæ depono in abyssum æternæ charitatis tuæ, qua dilexisti nos. Doleo ex intimo corde meo, me tam ingratum fuisse tot beneficiis tuis, & toties te Deum & summum bonum meum offendisse. Precor per mortem & amorem filii tui Iesu Christi, parce misero; & dimitte mihi clementissime, quidquid hodie, vel unquam in Te, proximum, & meipsum peccavi.

V. PROPOSITVM EMENDATIONIS.

O potentissime Deus, sine cujus numine nihil est in homine, coram te, & omni curia cœlesti propono firmiter, exactius regulam voluntatis tuæ sequi; mores corrigere, vocationi meæ propius attendere: peccata simul ac pericula fugere, &c.

Verum hæc ego quidem volo; sed sine te non valeo. Tu ergo qui das velle; adde posse ac perficere. Da quod jubes: & jube quod vis; ut sobriè, justè, & piè vivam in hoc seculo: & æternum te laudem cum Sanctis tuis in futuro.

Suscipe hoc desiderium meum Domine, sicut incensum in conspectu tuo, sacrificium hoc vespertinum & serotinum deprecationis meæ ne despicias pro infinita misericordia tua.

Vos verò, O sancti Patroni mei, in primis Virgo Mater, & tu Angele Custos, & tu N. omnesque cœlites, qui indefesse laudatis Deum, etiam dum ego tantisper quiesco & silco, Vos mei curam agite, & Deo me commendate, ut protegar ab insidiis hostium meorum, qui nobis dormientibus semper vigilant, parati ad nocendum. Sit Deus protector noster, & nulla nobis adversitas nocere poterit.

Domine Deus auge in nobis Fidem, Spem & Charitatem, Radicitus extirpa omne peccatum, & vitium, discordiam, infidelitatem, errores, opiniones. Increpa errantes, converte incredulos. Schismaticos; in Ecclesiæ unitatem recollige, lumen gratiæ tuæ illis ostende. Ecclesiæ tuæ Pastores & Præpositos, cæterosque Primores, Imperatorem, Reges, Duces Episcopos, & omnem Potestatem ab omnibus

nibus adversitatibus corporum animarumque custodi.

Peccatores ad veram pœnitentiam converte. Iustos in bono conserva. Cogitationes eorum, verba & opera confirma. Miserere omnium Domine: & in tua servitute deditos tibi corrobora. Enutri operarios: erige mœstitia pressos, infirmos cura, egentibus necessaria administra, peregrinantibus optatum largire in Patriam reditum. In periculis maris constitutus portum salutis tribue. Prægnantes lætifica, Captivos solve.

Dimitte omnibus qui mecum peccaverunt, vel quos ad peccandum impuli. Affectis per me injuria, scandalizatis vel circumventis, redde centuplum. Sanguine, vel familiaritate mihi conjunctorum, Parentum, Fratrum, Sororum, quorum utor opera vel ope, qui pro me orant, qui orationi meæ se commendarunt, omnium de me bene sentientium iter in via salutis dirige. Exaudi illos in quacunque tribulatione ad te clamaverint. Inimicis nostris & nobis Charitatem largire perpetuam. Sit in omnibus patientia, benignitas, misericordia. Procul sit invidia, ira, & amarulentia.

Sed & piissime Pater miserere omnium animarum in Christo dormientium. In primis parentum meorum, cæterorumque,

cum quibus familiariter sum conversatus, vel quorum hæreditates nunc possideo, omniumque, qui in tua fide requiescunt. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Amen.

PATER æterne, per vitam & mortem dilectissimi Filii tui, perque viscera misericordiæ tuæ rogo te, concede mihi, ut in bono perseverē, & moriar in gratia tua.

BONE IESU per charitatem æterni Patris, & ultima in cruce verba quibus Patri tuo spiritum commendasti, Te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

SPIRITUS sancte Deus miserere mei, & sancta inspiratione tua me semper, & potissimum in hora mortis meæ corrobora.

Sanctissima Trinitas, unus Deus miserere mei, nunc & in hora mortis meæ Amen.

ASPIRATIO HORARIA.

O Deus infinitæ misericordiæ: Doleo *ex amore tui, quod unquam offenderim Te*. Amo *te ex toto corde meo*. Adoro & laudo *te per ardorem charitatis & infinita merita dilectissimi* Filii tui, *Una cum amore* Spiritus Sancti *cum desiderio & fervore* B. Virg. MARIAE *& omnium* Electorum *tuorum*, Petoque *ut des mihi continuum tui amoris augmentum, omnes meas actiones præveniendo & dirigendo ad Gloriam tuam*.

DE

PIO LECTORI.

DE ROSARIO B. V. Vulgari.

INter cætera Pietatis Exercitia, frequens imprimis est usus Rosarii B. Virg. *quod quidem integrum constat* XV. Orationibus Domin. & 150. Salutat. Angelicis. *Alias dividim recitari solet, distributum* in Gaudiosum, Dolorosum, & Glorioſum; *quorum unicuique* Quinque tribuuntur Mysteria:

Gaudioso, 1. Incarnatio Christi, 2. Visitatio, 3. Nativitas, 4 Oblatio. 5. Inventio in templo.

Doloroso, 1 Oratio in Horto. 2. Flagellatio, 3. Coronatio. 4. Crucis Bajulatio. 5. Crucifixio.

Glorioso, 1. Resurrectio Domini. 2. Ascensio, 3. Spiritus S. Missio, 4. Assumptio B. Virg. 5. Coronatio Ejusdem.

IN I. ROSARIO GAVDIOSO.

Ad singulas Decades cuilibet salutationi Angelicæ post nomen Iesus *adiiciatur.*

Ad 1. Quem Virgo concepisti.
Ad 2. Quem visitans Elisabeth portasti
Ad 3. Quem Virgo genuisti.
Ad 4. Quem in templo præsentasti.
Ad 5. Quem in Templo invenisti.

In

In fine Decadis, vel post singula, S. Maria Mater Dei, Ora pro nobis, &c.

IN II. ROSARIO DOLOROSO.

Ad singulas Decades cuilibet Salutationi Angelicæ, post nomen Iesus *addatur.*

Ad 1. Qui pro nobis Sanguinem sudavit.

Ad 2. Qui pro nobis flagellatus est.

Ad 3. Qui pro nobis spinis coronatus est.

Ad 4. Qui pro nobis Crucem bajulavit.

Ad 5. Qui pro nobis Crucifixus est.

Et post singula S. Maria Mater Dei, &c.

IN III. ROSARIO GLORIOSO.

Ad singulas Decades post nomen Iesus *addatur.*

Ad 1. Qui Resurrexit à Mortuis.

Ad 2. Qui in Cælum Ascendit.

Ad 3. Qui Spiritum sanctum misit.

Ad 4. Qui te in Cœlum Assumpsit.

Ad 5. Qui te in Cœlis Coronavit.

Alios modos piè recitandi Rosariũ interpellando SS. Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, aliosque Cælites cum memoria Vitæ & Passionis Christi, & B. V. cum meditatione etiam Divinorum Attributorum, v. g. Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Iustitiæ, Misericordiæ &c. Dei, require, si placet, in ipso Paradiso, Sect. 6. & 7.

PARA-

PARADISI
ANIMÆ CHRISTIANÆ
MEDVLLA
SECTIO I.
PRO DOMINICA.

Complectitur hæc Sectio Meditationem Orationis Dominicæ, Litanias, aliasque Orationes, & exercitia pietatis ad

SS. TRINITATEM.
CAP. I.
Meditatio in Orationem Dominicã
Ex Epistolis S. Pauli collecta

Pater noster, qui es in Cœlis.

BEnedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis *a.* qui prædestinasti nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum *b.* Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore; sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, si autem filii; & hæredes: hæ-

redes quidem Dei; coheredes autem Christi *c.*

a 2. *Corinth.* 1 b *Ephes.* 1. c. c *Rom.* 8

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Da ut imitatores tui simus, sicut filii charissimi *a.* & ut filii lucis ambulemus in omni bonitate, & justitia, & veritate: ne nomen tuum per nos blasphemetur inter Gentes *c.* da ut sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam tuam faciamus *d.*

c *Rom.* 2 d 1. *Cor.* 10.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Quia caro & sanguis regnū Dei possidere non possunt *a* hinc flectimus genua nostra ad te Patrem Domini nostri Iesu Christi: ut des nobis secundum divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per spiritum tuum in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus nostris *b.* ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore. Tu enim eripuisti nos de potestate tenebrarum, & transtulisti in regnū Filii dilectionis tuæ *c* Scimus autē, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternā in cœlis: Dum autē sumus in corpore peregrinamur à Domino *d.* ideo desiderium habemus dissolvi, & esse cū Christo *e*

a 1. *Cor.* 15 b *Ephes.* 3 *Col.* 1. d 2 *Cor.* 5 e *Ph.* 1

3. *Fiat*

3. *Fiat voluntas tua, sicut &c.*

Tu enim es Domine, qui operaris in nobis velle & perficere pro bona voluntate tua *a*. Itaque fac ut impleamur agnitione voluntatis tuæ, in omni sapientia & intellectu spirituali: ut ambulemus dignè, tibi per omnia placentes *b*. hæc est enim voluntas tua, sanctificatio nostra *c*.

Nolimus conformari huic sæculo, sed reformemur in novitate sensus nostri, ut probemus, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta *d*. Da gratiam tuam; ut perficiamus eandem ex animo, sicut administratorii spiritus tui in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiet salutis *e*.

a *Phil.* 2 b *Coloss.* 1. c 1. *Thes.* 4 d *Rom.* 12 e *Heb* 1

4. *Panem nostrum quotidianum, &c.*

Est magnus quæstus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possimus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus *a*.

Sint ergo mores nostri sine avaritia: contenti præsentibus. Tu enim dixisti: non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor *b*. Prope es Domine. Nihil solliciti simus *c*.

a 1 *Timoth.* 4 b *Hebr.* 13 c *Philip.* 4.

Potens es etiam, ô Deus, omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum. Qui autem administras semen seminanti: & panem ad manducandum præstabis *g*.

g 2. *Cor.* 9

5. *Et dimitte nobis debita nostra, &c.*

Heu quam sæpè exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato *c*! & divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis tuæ contempsimus! non curantes, quoniam benignitas tua ad pœnitentiam nos adducit; secundum autem duritiam nostram, & impœnitẽs cor thesaurizavimus nobis iram in die iræ & revelationis, justi judicii tui, qui reddes unicuiq; secundùm opera sua *d*.

Sed veniat, Pater benignissime, super nos misericordia tua: & ostendens divitias gloriæ tuæ, fac nos vasa misericordiæ tuæ, præparata in gloriam tuã *e* & ubi abundavit delictum, superabundet & gratia *f*.

Ecce remittimus & alias minas, ut te Dominum nostrum in cælis propitium habeamus *g*. Tu nos quoque indue sicut electos tuos, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: ut simus invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut &

ut & tu in Christo donasti nobis *b*.

c *Rom.* 6. d *Rom.* 2: e *Rom.* 9 f *Rom.* 5. g *Ephes.* 6. h *Ephes.* 4.

6. Et ne nos inducas &c.

Memores fragilitatis nostræ, rogamus te, Pater pientissime, ut tentatio nos non apprehendat, nisi humana *a*: ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu *b*. Fidelis es Deus, non patieris nos tentari supra id, quod possumus, sed etiam facies cum tentatione proventũ, ut possimus sustinere *c*.

a 1 *Corinth.* 10. b 2. *Cor.* 11 c 1. *Cor* 10

7. Sed libera nos à malo.

Confirma nos deniq; & custodi à malo *a*, contere satanã sub pedibus nostris velociter *b*, ut non circumveniamur ab eo: non enim ignoramus cogitationes ejus *c*. Da ut induamus nos armatura tuam, ut possimus stare adversus insidias Diaboli; & resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare: induti loricam fidei & charitatis, & galeam spe salutis *d*. Non simus fidẽtes in nobis; sed in te Deus *e*. Ideoq; confidimus hoc ipsum, quia qui cœpisti in nobis opus bonum, perficies usque in diem IESV Christi *f*. Fidelem credimus esse te, qui repromisisti: quotquot enim promissiones tuę sunt; sunt, Est & Amen *g*.

a 2. *Thess.* 3. b *Rom.* 16

LITANIÆ
AD SS. TRINITATEM.

KYRIE ELEISON, Christe eleison Kyrie eleison.

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
S. Trinitas unus Deus,
Deus ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, *Rom.* 11
Qui solus es Deus, *Ps* 85.
Qui Moysi nomen tuum EGO SUM, QUI SUM, patefeciſti, *Exod.* 3.
Deus Deorum Dominus, *Ps.* 49.
Deus in quo vivimus, movemur, & sumus, *Act.* 17.
Dominus Deus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, *Exo.* 20.
Cui soli debetur omnis honor & gloria, 1. *Tim.* 1
Qui facis mirabilia magna solus; *Ps.* 135.
Dominus Altissimus super omnem terram, *Ps* 96.
Qui solus es bonus, *Luc.* 18.
Qui es, qui eras, & qui venturus es, *Apoc.* 1.
Rex Regum, & Dominus Dominantium, 1 *Tim.* 6

Miserere nobis.

Qui

Qui solus habes immortalitatem, & lucem inhabitas inaccessibilem, — 1 Tim. 6

Dominator Exercituum Deus Israël, — Is. 10. 37

Qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, — Ps. 145.

Qui facis judicium injuriam patientibus, & das escam esurientibus, — ibid.

Deus misericors, patiens, & multæ misericordiæ & verax, — Num. 14

Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus, — Heb. 12

Deus cujus iræ nemo resistere potest, — Deut. 32

Dominus scrutans cor, & probans renes, — Job. 9.

Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu, — Ps. 144.

Cujus oculi aperti sunt, super omnes vias filiorum Adam, — Ps. 146.

Vnus legislator, & Iudex, qui potes perdere & liberare, — Jere. 32

Deus non volens iniquitatem — 1. Reg. 2.

Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, — Isai. 45.

Deus apud quem non est personа-

Miserere nobis.

sonarum acceptio. *Rom. 2.*

Qui das pluviam super faciem terræ, & irrigas aquis universa, *Job. 5.*

Terribilis in consiliis super filios hominum, *Psal. 65*

Apud quem tanquam momentum stateræ est orbis terrarum, *Sap. 11.*

Qui operaris omnia secundum consilium voluntatis tuæ, *Ephes. 1*

Qui dominaris potestati maris & motum fluctuum ejus mitigas, *Psal. 86*

Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus Deus Sabaoth, *Isai. 6.*

Deus protector noster, & merces nostra magna nimis, *Gen 15.*

} Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis ô S. Trinitas.

Propitius esto. Exaudi nos ô S. Trinitas.

Ab omni malo, Libera nos ô S. Trinitas.

Ab omni superbia, & elatione animi,

A gula, crapula, & omni ventris ingluvie,

Ab ira, invidia, & omni mala voluntate,

Ab omni luxuria, & immunditia,

} Libera nos ô S. Trinitas

Ab

Ab omni acedia, & inordinata tristitia,
Per immensitatem potentiæ tuæ,
Per infinitatem sapientiæ tuæ,
Per abundantiam Bonitatis tuæ,
Per æternitatem gloriæ, & majestatis tuæ,
Per altitudinem scientiæ & providentiæ tuæ,
Per ineffabilem magnitudinem charitatis & misericordiæ tuæ,
Per abyssum justitiæ & judiciorum tuorum,
In die Iudicii,

Libera nos ô S. Trinitas.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt te Dominum Deum nostrum adoremus, & tibi soli serviamus,
Vt nomen sanctum tuum in vanum nunquam assumamus,
Vt festos & sacros Ecclesiæ dies religiosis & piis operibus sanctificemus,
Vt parentes, Prælatos superiores, & qui parentum loco nobis sunt, debito honore, reverentia, & obedientia prosequamur,
Vt nullius vitæ, famæ, honori, ex ira, odio, vel invidia unquã noceamus,
Vt neminem damno, furto, vel quacunque injuria, seu dolo, seu vi lædamus,

Te rogamus, audi nos.

Te rogamus, audi nos.

Vt ab illicitis carnis desideriis, & impuris affectibus cor nostrum custodiamus,
Vt nunquam adversus proximum falsum testimonium, aut mendacium loquamur,
Vt bona proximi non concupiscamus,
Vt te Deum nostrum ex toto corde, & ex tota anima & totis viribus diligamus,
Vt te super omnia, & proximum propter te, sicut nos ipsos amemus,
Vt omnem gratiam in nobis abundare facias,
Vt divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis tuæ non contemnamus,
Vt exhibeamus corpora nostra hostiam viventem sanctam, Deo placentem,
Vt ad regnum, quod parasti nobis ab origine mundi, nos perducere digneris,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Placa nobis Patrem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Propitius esto nobis peccatoribus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona nobis Spiritum Sanctum.
O beata Trinitas Audi nos,

O ado-

O adoranda Trinitas Exaudi nos, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleis. Pater noster. Ave Maria.

℣. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula

℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli.

℟. Et laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula

℣. Benedicant te omnes Angeli, & Sancti tui.

℟. Et laudent te & glorificent in ſæcula.

℣. Benedicant te cœli, terra, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.

℟. Et laudent te, & glorificent in ſæcula.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum S. Spiritu.

℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere; & in potentia majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

Deus, qui omnipotentiam tuã parcendo maximè & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes

cœlestium bonorum facias esse consortes.

Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota; effunde super nos misericordiam tuam; ut dimittas, quæ cõscientia metuit; & adiicias quod oratio non præsumit. Per Dominum.

LITANIÆ
AD DEUM PATREM.

KYRIE ELEISON, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater sancte, audi nos. Pater juste, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
S. Trinitas unus Deus.
Pater noster, qui es in Cœlis, *Mat. 6.*
Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, *2. Cor. 1.*
Qui consolaris nos in omni tribulatione nostra. *ibid.*
Pater quærens adoratores in Spiritu & veritate, *Joan. 4.*
Pater gloriæ & Dominus cæli & terræ, *Eph. 1.*
Qui misisti Filium tuum unigenitum in mundum, ut vivamus per eum, *Joan. 4.*
Qui prædestinasti nos in adoptio-

Miserere nobis.

optionem filiorum per Iesum Christum, — *ibid.*

Qui mysteria abscondis à prudentibus; & revelas ea parvulis, — *Mat* 11

Qui elegisti nos, ut essemus sancti & immaculati in conspectu tuo, — *Eph.* 1.

Qui das spiritum bonum petentibus te; — *Luc.* 11.

Pater luminum à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, — *Jac.* 1.

Pater videns in abscondito, — *Mat* 6.

Agricola usque modo operans, — *Joan.* 15.

Qui solem tuum oriri facis super bonos & malos, — *Mat.* 5.

Qui pluis super justos & injustos, — *ibid.*

Qui vocasti nos in societatem Filii tui. — 1. *Cor.* 1.

Qui gratificasti nos in dilecto Filio tuo. — *Eph.* 1.

Qui talem charitatem dedisti nobis ut filii tui nominemur, & simus, — 1. *Joh.* 3.

Qui voluisti nos conformes fieri imaginis Filii tui. — *Rom.* 8.

Qui regnum electis tuis à mundi

Miserere nobis.

mundi constitutione parati, *Mat.25*

Qui sine acceptione personarum judicas secundum opus uniuscujusque, *1.Pet.1*

In cujus domo mansiones multæ sunt, *Joan.14*

Pater cui omnia sunt possibilia, *Joan. 3.*

Miserere nobis.

Propitius esto ; Parce nobis Domine.

Propitius esto ; Exaudi nos Domine.

Propitius esto ; Libera nos Domine.

Ab omni malo,

A potestate satanæ,

Ab ira, odio, & omni mala voluntate,

Ab imminentibus peccatorum periculis,

A morte perpetua,

Per altissimam, qua intueris abyssos, scientiam tuam,

Per immensam, qua omnia ex nihilo creasti potentiam tuam,

Per suavem, qua cuncta gubernas, providentiam tuam,

Per æternam, qua mundum dilexisti, charitatem tuam,

Per infinitam, qua omnia imples, bonita-

Libera nos Domine,

nitatem tuam, Libera nos Domine.
In die Iudicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt nomen tuum semper & ubique sanctificetur,
Vt regnum tuum nobis advenire concedas,
Vt voluntas tua semper in nobis fiat sicut in cœlo & in terra,
Vt panem nostrum quotidianum nobis dare digneris,
Vt debita nostra nobis clementer dimittere digneris,
Vt nos sub umbra alarum tuarum protegere, & ex omni tentatione eripere digneris,
Vt nos ab omni malo liberare digneris,
Vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur,
Te rogamus, audi nos.
Pater in nomine Filii tui, Te rogamus, audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c.

Kyrie eleison, &c.
Pater noster,
Ave Maria,

℣. Protector noster aspice nos Deus. ℟. Et respice in faciem Christi tui.

℣. Me-

℣. Memento nostri Domine in beneplacito tuo.

℟. Visita nos in salutari tuo.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine Deus virtutum converte nos,

℟. Ostende faciem tuam & salvi erimus.

℣. Domine exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Deus celsitudo humilium, & fortitudo rectorum, qui per unigenitum Filium tuum, ita mundum erudire dignatus es, ut omnis illius actio, nostra fieret instructio; excita in nobis Spiritus tui fervorem, ut quod ille verbo & exemplo salubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus.

Deus à quo bona omnia procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt & te gubernante eadem faciamus. Per Dominum nostrum.

LITANIÆ

AD DEUM FILIUM.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
S. Trinitas unus Deus,
Verbum caro factum, *Joan.* 1.
Verbum plenum gratiæ & veritatis, *Joan.* 1.
Deus per quem omnia facta sunt. *Joan.* 1.
Vnigenitus filius Dei, *Joan.* 3.
Filius Dei dilectus, *Luc.* 3.
Salvator Christus Dominus, *Luc.* 2.
Filius Dei vivi, *Mat* 16
Omnipotens sermo Domini, *Sap.* 18.
Benedictus qui venit in nomine Domini. *Luc.* 19.
Cui donatum est nomen, quod est super omne nomen, *Phil.* 2.
In cujus nomine omne genu flectitur. *ibid.*
Iesus Nazarenus, *Joan.* 9.
Primogenitus in multis fratribus, *Rom.* 8.
Hæres universorum, *Hebr.* 1.
Expectatio Gentium, *Gen.* 49
Vir à fœmina circumdatus, *Jere.* 31.
Filius Mariæ primogenitus, *Mat.* 1.
In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, *Coloss.* 2.
Sacerdos in æternum secundum

Miserere nobis.

dum ordinem Melchisedech,	*Ps.*109
Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus,	*Hebr.*9.
Caput corporis Ecclesiæ,	*Coloss.*1.
Pastor bonus, animam tuam dans pro ovibus tuis,	*Joan.*10
Pastor & Episcopus animarum nostrarum,	2.*Pet.*1
Princeps Pastorum,	1.*Pet.*5
Testis fidelis & verus,	*Apoc.*3.
Vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo,	*Luc.*24.
Messias, Desideratus cunctis Gentibus,	*Jo.*4.&c
Speciosus forma præ filiis hominum,	*Ps.*44.
Excelsus præ Regibus terræ,	*Ps.*88.
Dominus Legifer noster,	*Isai.*33
Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,	*Joan.*1.
Manna absconditum,	*Apoc.*2.
Panis vivus & verus de cælo descendens,	*Joan.*6.
Rabbi, qui à Deo venisti, Magister,	*Joan.*1.
Deus & Princeps pacis,	1.*Thes.*5

Miserere nobis.

Vir

Vir dolorum, & sciens infirmitatem, *Isai. 53.*
Agnus absque macula, *Exo. 11.*
Qui vulneratus es propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, *Isai. 53*
Propitiatio pro peccatis nostris, *1. Joa. 2.*
Qui venisti quærere & salvum facere quod perierat, *Luc. 19.*
Qui acquisivisti Ecclesiam sanguine tuo, *Act. 20.*
Qui factus es obediens Deo Patri usque ad mortem Crucis, *Phil. 2.*
Vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, *1. Tim. 2*
Advocatus noster apud Patrem, *1. Joa. 2.*
Per quem habemus accessum ad Patrem, *Eph. 2.*
Qui constitutus es à Deo Iudex vivorum & mortuorum, *Act. 10.*

Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Per æternam ex Patre generationem tuam, Libera nos Domine.
Per temporalem ex Matre nativitatem tuam, Libera nos Domine.

Per

Per sanctissimam vitam & conversationem tuam,
Per acerbissimam passionem & mortem tuam.
Per gloriosam resurrectionem & ascensionem tuam,
Per Adventum tuum ad judicium,
Per coæternam Deo Patri gloriam tuam,
Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus, audi nos.

Vt ante omnia quæramus regnum Dei, & justitiam ejus. *Mat.6.*
Vt discamus à te, quia mitis es & humilis corde, *Mat.11*
Vt diligamus inimicos nostros; & benefaciamus his qui oderunt nos, *Mat.5.*
Vt abnegemus nosmetipsos, & tollentes crucem nostram te sequamur, *Mat.16.*
Vt sic luceant opera nostra coram hominibus, ut glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. *Mat.5.*
Vt perdamus animas nostras in hoc mundo; & in vitam æternam eas custodiamus, *Joan.12.*
Vt non thesaurizemus nobis thesauros in terra, sed in cœlo,

Te rogamus, audi nos.

Vt

Te rogamus, audi nos.

Vt proximum temere nunquam judicemus, *Mat.7.*

Vt in nomine tuo Patrem rogantes, juxta promissum tuum, exaudiri mereamur, *Joan.16*

Vt, omnia, quæ nobis fieri volumus ab hominibus, & nos illis faciamus, *ibid.*

Vt relicta via spatiosa quæ ducit ad perditionem; per angustam portam quæ ducit ad vitam, intrare contendamus, *Mat.7.*

Vt talenta à te accepta, sedulo ad usuram collocemus, *Mat.25*

Vt de hora mortis nostræ, & adventu tuo incerti, semper vigiles & parati esse studeamus, *Mat.25 &c.*

Vt ad rationem villicationis nostræ reddendam serio nos comparemus, *Luc.16.*

Vt per gratiam tuam usque in finem perseverantes salvi fiamus, *Mat.10*

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi; Dona nobis pacem.

Kyrie

Kyrie eleison, &c.
Pater noster, Ave Maria.

Oremus.

Deus qui per coæternam tibi sapientiam, hominem, cum non esset, condidisti, perditumque misericorditer reformasti, præsta quæsumus ut eâdem corda nostra inspirante, te tota mente diligamus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum nostrum.

LITANIÆ
DE S. SPIRITU.

KYRIE ELEISON, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater de cœlis Deus,	Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,	
Spiritus Sancte Deus,	
S. Trinitas unus Deus.	
Spiritus à Patre Filioque procedens,	*Joan.* 15
Spiritus de Christo testimonium perhibens,	*Joan.* 15
Spiritus veritatis suggerens nobis omnia,	*Joan.* 14
Spiritus docens nos omnem veritatem,	*Joan.* 16
Spiritus in Mariam superveniens,	*Luc.* 2.
Spiritus cujus virtute mirabili incarnatio Domini in utero	*ibid.*

tero virginis peracta est, *ibid.*
Spiritus Dei habitans in nob. *2. Tim. 1*
Spiritus sapientiæ & intellectus, *Isai. 11*
Spiritus cõsilii & fortitudinis *ibid.*
Spiritus scientiæ & pietatis, *ibid.*
Spiritus timoris Domini, *ibid.*
Spiritus gratiæ & misericordiæ, *Hebr 10*
Spiritus sanctificationis, *Rom. 1.*
Spiritus virtutis, dilectionis & sobrietatis, *2. Tim. 1*
Spiritus gratiæ & precum, *Zach. 12*
Spiritus fidei, pacis, & amoris *Rom. 8.*
Spiritus Humilitatis & Castitatis, *Gal. 5.*
Spiritus charitatis, benignitatis, & mansuetudinis, *ibid.*
Spiritus patientiæ, modestiæ, ac continentiæ, *ibid.*
Spiritus compunctionis, *Rom. 11*
Spiritus, qui super Christum baptizatum in specie columbæ descendisti, *Mat. 3.*
Spiritus in quo renascimur, *Joan. 3.*
Spiritus per quem diffusa charitas Dei in cordibus nostris, *Rom. 5.*
Spiritus adoptionis filiorum Dei, *Rom. 8.*
Spiritus adjuvans infirmi-

Miserere nobis.

tatem

tatem nostram. *Rom* 8.
Spiritus suavis, benigne, super mel dulcis, *Eccl.* 24
Spiritus qui in die Pentecostes super Discipulos Domini in linguis igneis sedens apparuisti, *Act.* 2.
Spiritus quo repleti Apostoli intrepide Christum confessi sunt, *Act.* 4.
Spiritus arguens mundum de peccato, & de justitia: & judicio, *Joan.* 16
Spiritus gratias & dona tua variè distribuens, 1. *Cor.* 12
Spiritus dividens singulis prout vis, 1. *Cor.* 12
Spiritus discretor cogitationum & intentionum cordis, *Hebr.* 4.
Spiritus Paracletus manens nobiscum in æternum, *Joan.* 14
Spiritus disciplinæ effugiens fictum, nec habitans in corpore subdito peccatis, *Sap.* 1.

Miserere nobis.

Propitius esto; Parce nobis S. Spiritus,
Propitius esto; Exaudi nos S. Spiritus,
Ab omni malo, Libera nos S. Spiritus,
Ab omni peccato, Libera nos S. Spiritus,
A tentationibus & insidiis Diaboli, Libera nos S. Spiritus.

Ab

Ab omni præsumptione & desperatione,
Ab impugnatione veritatis agnitæ,
Ab invidentia fraternæ charitatis,
Ab omni obstinatione & impœnitentia,
Ab omni immunditia mentis & corporis,
A spiritu iræ, rixæ & dissensionis,
A spiritu fornicationis,
Ab omni spiritu malo,
Per æternam ex Parte & Filio processionem tuam,
Per miraculosam conceptionem Filii Dei te cooperante factam,
Per descensionem tuam super Christum baptizatum,
Per apparitionem in transfiguratione Domini,
Per adventum tuum super Discipulos Christi,
In die Iudicii.

Libera nos S. Spiritus.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Vt sicut spiritu vivimus, ita & spiritu ambulemus, Te rogamus audi nos. *Gal.* 5.
Vt Spiritui gratiæ contumeliam non faciamus, Te rog. audi nos. *Heb.* 10

Te rogemus audi nos.

Vt spiritu ambulantes desideria carnis non perficiamus, *Eph.4.*

Vt solliciti simus servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, *Eph. 5.*

Vt non omni spiritui credamus, sed probemus spiritus si ex Deo sunt, *1 Joan.4*

Vt memores nos esse tẽplum spiritus sancti, illud violare caveamus, *1.Cor.6.*

Vt errantes instruamus in spiritu lenitatis & mansuetudinis, *Gal.6.*

Vt seminemus in spiritu, & de spiritu metamus vitam æternam, *Gal.6.*

Vt paupertatem spiritus in nobis excitare & fovere digneris, *Mat.5.*

Vt nos à blasphemia Spiritus, cui remissio in hoc & futuro seculo negatur, custodias, *ibid.*

Vt non contristemus Spiritum sanctum Dei, in quo signati sumus, *Mat.12*

Vt nos in finem usque in fide, spe, & charitate perseverare concedas, *Eph.4.*

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, effunde in nos Spiritum Sanctum,

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, emitte promissum in nos Patris Spiritum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, da nobis spiritum pacis.
Kyrie eleison, &c.

Pater noster. *Ave Maria.*

℣. Cor mundum crea in me Deus.
℟. Et spiritum rectũ innova in visceribus meis.
℣. Ne proiicias me à facie tua.
℟. Et Spiritum Sanctum ne auferas à me.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Spiritus Sancti gratia.
℟. Illuminet sensus & corda nostra.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem S. Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Adsit nobis quæsumus Domine virtus Sp. S. quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab

omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum no- strum.

CAP. III.

ROSARIUM SS. TRINITATIS, A præclaris Theologis usitatum & commendarum.

Ejus recitandi modus erit iste.

Præmisso symbolo Apost. Credo &c. dic,

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mũdi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis

S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Deinde Rosarium per tres Decades hoc modo decurres. Initio cujusque Decadis, seu ad tres majores globulos Rosarii leges Orationem Dominicam *adjecto Hymno illo Angelico ex Apoc. 7.* Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sęcula sæculorum. *Ad singulos vero minores globulos legas verba Trishagii Seraphici* Isai. *6. & Doxologiæ Ecclesiasticæ.* Sanctus Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus. Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Testatur Cornel. à Lapide *in c. 6. Isaiæ, hujus modi Exercitium multis*

multis doctis & piis viris magno fructu usitatum esse: & censet nihil sanctius, nihil Deo dignius, aut gratius, nihil homini utilius orari aut fieri posse. Potest etiam Doxologia illa in hunc modum piè recitari: Gloria Patri, qui me, cum non essem, ad imaginem suam potentia sua creavit, *& Filio*, qui me, cum perditus essem sua sapientia & sanguine restauravit, *& Spiritui sancto*, qui me filium iræ, tũ in baptismo, tum alias sæpe post lapsũ, sua gratia & bonitate justificavit.

Tanta, inquam, ac talis pro his omnibus & singulis sit *Gloria, sicut erat in principio*, ante omnẽ creaturam, eadem & major etiam sit *nunc* in præsentis vitæ nostræ decursu, & *semper*, usque ad consummationem seculi *& in secula seculorum, Amen*; in omnem æternitatem, sine ullo termino, ab omnibus Beatis, in Patria, ubi nulla erit satietas, quies, aut cessatio à laude divina. Talem inquam ac tantã laudem ac gloriam *nunc* id est hoc ipso tempore, dum recito istam doxologiam, opto ac nitor deferre Deo ac reipsa simul exhibere. *Vide quam prægnans sit piis sensibus brevis isthæc formula.*

Porro ad hanc corollam majore cum fructu & affectu recitandam, Nota *ex* Thoma Saillio *in Thes. Precum.*

1. Doxologiâ *ista tria potissimum nos agere*

gere posse. 1. Laudare SS. Trinitatem. 2. Eidem gratias agere. 3. Ab ea aliquid petere. Cogita ergo antequam corollam incipias, quid horum velis, an omnia simul, an per distinctas decades; an unum per omnes.

II. Propone tibi causam, vel communem, vel singularem, ob quam Deum sic laudare velis. V. G. volo gratias agere, aut laudare Deum ob Jesu Christi sacrosanctam Nativitatem, Passionem, &c. ob vocationem meam; ob beneficium tale N. privatum, vel publicum &c. Similiter expende, quid petere velis, an virtutem aliquam, & gratiam; an liberationem à tentatione aliqua, an opem & auxilium in hac vel illa re. Quidquid enim petis, (si quidem recte) haud dubie, non nisi majorem Dei gloriam quæris.

CAP. IV.

OBLATIONES SUI AD SS. TRInitatem.

OBLATIO AD DEUM PATREM.

O Clementissime Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis ego creatura tua licet indigna, & vile mancipium tibi Domino & creatori meo benignissimo humiliter me sisto; & ad te non quidem meis, sed dilectissimi Filii tui Domini Nostri Jesu Christi meritis confisus

fisus supplex accedo, gratiæ ac benignitatis tuæ particeps fieri cupiens, qua adjuvãte in singulis meis cogitationibus, locutionibus & operationibus ita me ad voluntatis ac beneplaciti tui regulam dirigere valeam, quatenus tibi domino meo gratum & acceptum debitæ servitutis obsequium exhibeam.

Tibi itaque, ô benignissime Pater, me totum ac omnia mea quies omnium dator & conservator offero ad promptissimũ servitium & obsequium tuum: idque in unione oblationis dilectissimi Filii tui Domini Iesu Christi, qua ille adhuc infãs tibi sese in templo, deinde orans in horto; tandem moriens in ara crucis obtulit & commendavit.

Esto ô clementissime Deus propitius mihi miserrimo peccatori; & ne despicias me opus manuum tuarum; sed respice in faciẽ Christi tui, quem nobis dedisti advocatum & mediatorem.

Ipsius dignitas vilitatem meam compenset, ut quod meis non possum, ipsius meritis obtineam.

Dignare itaq; pro infinita tua bonitate clemẽtia meum hoc licet vile obsequium ad majorem tui Nominis gloriam, & animæ meæ salutem propitius acceptare.

OBLATIO
AD DEVM FILIVM.

O Benignissime & dulcissime Domine Iesu Christe salvator mundi, ego licet peccator indignus, tuo tamen pretioso Sanguine redemptus, ad te Deum & Salvatorē meum humili mente, & intimo cordis affectu confugio.

Et quia tu te totū pro me misero peccatore redimendo, in ara crucis Deo Patri redemptionis pretium obtulisti; ego quoque ô amantissime Iesu offero Tibi meipsum totū, quicquid sum, quicquid ero, cum omnibus quæ habeo, & habiturus sum.

Suscipe quæso Domine in manus ineffabilis misericordię tuæ animam pariter & corpus meū, sensus, sermones, & actiones meas: & per omnia ita me dirigere ac gubernare dignare, ut omnes peccandi occasiones semper effugiam, ne unquam in laqueum maligni spiritus incidam; sed tibi Deo ac Redemptori meo tuisque mandatis indesinenter inhærea. am, adeo ut me à te nec vita, nec mors, nec ulla fortunæ sors separet.

Conjunge, obsecro, indignissimum obsequium meum cum omnibus, quæ egisti & passus es ex perfectissima & ineffabili charitate, & obedientia; & cum divitiis satisfactionum

num & meritorum dilectionis tuæ Patri æterno illud offerre digneris, ut de tua abundantia mea detetur inopia & quam ex me ipso nullatenus mereor, te mediante gratiam obtineam. Amen.

AD SPIRITVM SANCTVM

Oblatio

O Sancte Spiritus, cum Patre & Filio unus, & verus Deus, sine cujus numine nihil est in homine. Regenerati enim ex aqua & Spiritu sancto, membra sumus Christi Iesu, & filii Ecclesiæ ejus, quam Tu quoq; continuo influxu gratiæ & bonitatis tuæ regis, protegis, fecundas, atque sanctificas.

Tibi itaque cor meum, meque ipsum totum offero, omnes res & actiones meas supplex tibi devoveo ac consecro.

Tu, quæso purifica per infusionē donorum & charismatum tuorum sensus, & cor meum, ut tibi semper casto corpore servire, & mundo corde placere valeam.

Et quia sine Te nihil boni à nobis cogitari potest, nedum perfici; tua me quæso gratia sēper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum: eaq; cum ex seipsis indigna sint, quæ placeant tibi, accipe clementer in unione sanctiſſi-

ctissimorũ operũ & meritorũ Christi Iesu, ut sicut ille per Virginem purissimã Te obumbrante, cõceptus, factus est nobis Salvator sic ex illius gratia, charitate, & meritis infinitis nostræ infirmitatis, & inopiæ subsidium sentiamus.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus, infirma nostri corporis virtute firmans perpeti. Amen.

CAP. V.

MODVS ADSPIRANDI AD intimam

Cum DEO *unionem*,

Per ACTVS internos variarum VIRTVTVM.

Ex Blasio Palma, *Clerico Regulari S. Pauli, Italicè magna omnium approbatione sæpius edita*

I.

PVRA INTENTIO,

Seu propositum, serviendi & operandi Deo.

Omnes quodcunque facitis; in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Nostri Jesu Christi facite. Coloss. 3.

O Sanctissima & Individua Trinitas, Pater, Filius & Spiritus S. ego, misera, &

ra, & indigna creatura tua, firmo & cõstanti proposito me totum hodie in sanctissimã & justissimã voluntatem tuã proiicio; & abnegando meipsum ex toto corde pronuncio, ac protestor, quod totus velim esse tuus;

Et firmiter nunc propono, deinceps Tuæ Majestati supremæ servire, & eandem amare, non tam ut effugiam pœnas, carcerem, aut infernum evitem; neque ut mihi des consolationes, aut beatitudinem in altera, aut aliud quidquam desiderabile in vita præsenti: sed præcipue, ut quærã te solum, velim te solum, amem te solum Et certè solus mihi sufficis, qui es verũ, unicumque complementũ omnium Hoc inquam, est consilium; hoc decretũ, hęc enixa voluntas & propositum meum.

2. In hujus propositi confirmationem, nunc testem appello B. Virginem Mariam, Reginam cœlorum, cum omnibus Angelis & Sanctis in cœlo degentibus: quos omnes rogo, ut intercedant pro me apud tuam divinam Majestatem: quo meum hoc propositum te solum purè in omnibus, & nihil aliud quærendi, crescat, & impleatur.

3. Quare ô mi dulcissime Domine, ad te iterum me cõverto, & obsecro, ut digneris acceptare meum istud propositum, & dare vires,

quibus illud implere valeam: quia sine te prorsus nihil possum.

4. Hac ipsa intentione & fine, statuo me exercere in infrascriptis exercitiis & actibus virtuosis: quos si interdum ore, & opere explicare satis non potero, nihilominus intendo, & nũc propono, corde implere, omni momento temporis, & semper; maxime in hora mortis, conatu affectuque maximo, & modo excellentissimo; quo per me, vel aliam quamcunque creaturam fiunt, ac tu ipse nosti fieri posse. Et ecce nunc illos omnes tibi offero, perinde ac si eos ipse elicerem: simulque toto corde te rogo, per infinitã tuam bonitatem, & misericordiam, ut eos acceptare dignetis. Amen.

II.

ACTVS FIDEI.

Sine Fide impossibile est placere Deo. Hebr. 11.

Fides, tanquam fundamentum reliquarum virtutum, primum inter Virtutes Theologicas locum obtinet: & est habitus intellectus à Deo infusus, quo Fidelis illustratus assentitur, atque adhæret iis, quæ ab ipso Deo, per Ecclesiam, revelata, & proposita sunt.

EGo itaque, O fidelissime, & verissime Deus, firmissima & prima Veritas,

ritas, toto animo amplector fundamentum hoc Fidei: ideoque humillime in terram prostratus adoro, & veneror te, in cœlo & in terra: & optimo, excellentissimoq; modo, quo possum, firmissimè profiteor: & ex nũc, & in perpetuũ, corde credo, & ore cõfiteor, omnia, quæ dixisti, revelasti, & proposuisti credenda: mediante sancta Ecclesia: præsertim ea, quæ continentur in Symbolo Apostolico; affirmans omnia certissima esse, ut nihil omninò de ipsis possit in dubium revocari.

2. Ideò coram Tua Divina Majestate, & tota curia cœlesti, confiteor, & firmissimè protestor, velle me in hujus veritatis confessione vivere, & mori. Ah quam præterea cuperem, ut universus Mundus firmissima fide te cognosceret, & confiteretur: & summoperè doleo, quod te non credat, adoret, veneretur, sicut oportet.

3. Quare obsecro te per pretiosum sãguinem, vitam, & mortẽ Domini mei, Iesu Christi: per merita sanctissimæ Matris ejus & intercessionem omnium Sãctorum & Electorũ tuorum, ut velis in me, & omnibus hominibus, sanctum istud lumen Fidei augere, & in Infidelibus accendere: ut eo magis omnes te agnoscant, confiteantur, adorent.

4. Sed & lubens offero tibi, si opus

fuerit, vitam & sanguinem meum pro hac Fidei Veritate, & confessione tuẽda Atque utinam, ô Sãctissima Trinitas tibi placeret dare mihi gratiã Martyrii, pro eadem obeundi: ego me non modo prom. ptissimè, cum gratia tua, offerrem ad omnia dura & aspera: sed etiam pro maximo beneficio reputarem, si multa crudelia, pro tuæ Veritatis amore daretur perpeti. Exaudi me dulcissime Deus.

III.

ACTVS SPEI ET CONFIDENTIAE in DEVM.

Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Hebr. 10.

Spes est Virtus menti nostræ à Deo infusa, qua certo beatitudinem, per merita Jesu Christi, Redemptoris nostri, simulque ex operibus nostris gratiâ Dei præventis exspectare debemus

1. EGo itaq; Deus meus omnipotens, totus inclinatus, & prostratus, te adoro & veneror: cui nihil impossibile, & difficile est. Et quia promisisti mihi cælestem gloriam: ideoque etiam me vocasti, ut essem tui consors & similis, O Bonitas infinita, per auxilium tuum, & bona opera, quæ cum gratia tua speciali stamtuo facere, *Spero*, &

à te solo consequi desidero, vitam æternam.

2. O Verè omnipotens Deus, ecce ego apertissimè cognosco, tantum bonum mihi promissum, me possidere nõ posse; nisi te mediante. teque desiderare, & velle illud mihi dare: ideò enim Filium tuum pro me in mortem dedisti.

3. Gratulor mihi, & exulto mi suavissime Iesu, bonitas infinita, quod per te solum possim beatus fieri: neque aliud nomen sub cœlo datum sit nobis, per quod salvi fiamus.

4. Firmissime etiam toto corde spero, posse me à te, cùm sis liberalissimus, consequi & obtinere omnia, quæcunq; mihi ad salutẽ necessaria fuerint.

Ac primò quidem Veniã, omniũ meorum peccatorũ, quãtumvis multorum & enormium: tum etiã vires ad superandas omnes difficultates, in hac vita occurrẽtes. Ac tandem gratiam perveniendi, ad fruendum perpetuo felicissimo tuo adspectu.

Et quanquam Cœlum terra, & omnes creaturæ contra me conjurarent, & ipse jam in portis inferorum consisterem, nihilominus benevolentissime Pater, semper in te sperare vellem, & confidere, dicendo cum Propheta, *In te, Domine, speravi: non confundar in æternum. In Domino sperans non infirmabor. Amen.*

IV.

IV.

ACTVS AMORIS ERGA DEVM, & proximum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Lucæ 10.

Actus Amoris est, benè velle rei amatæ, & gaudere de bono, quod habet; eique optare, quod non habet.

1. EGo itaque desiderans exercere hunc actum, amabilissime Deus, ac suavissime Domine, summè gaudeo, tibique congratulor de tuis infinitis perfectionibus, & attributis: quod solus tu sis qui es, & summũ infinitum bonum: sisque Deus inscrutabilis, & immensus qui comprehendinõ possis, neque satis ab ulla creatura cognosci.

2. Gratulor tibi tãtam tuam super nos, & super omnia, potestatem, gloriam, dominationem, imperium: & quod hæc habeas à teipso.

3. Opto quoque, & ex intimo cordis mei affectu desidero, ut omnes creaturę, tuę omne suum esse tibi acceptum referant, honorem tibi exhibeant, & obsequia: te laudent, magnificent, ament omnes: quia tu solus es omni amore dignissimus.

4. Sed & maximo gaudio me afficit, quod quidquid creaturæ præstare conãtur

tur tui amore, id omne tuæ dignitati, & magnitudini longè sit impar.

5. Et quia tu ex te ipso summè es amabilis, toto pectore desidero te amare, illa perfectione, qua te amarunt, amant, & in æternum amaturi sunt omnes Beati. Et hac eadem affectione cordis, offero tibi illum fervorem, floremque charitatis, qua tu te ipsum amas, amasti, & in æternum amaturus es.

6. Et hoc tibi de me certum esse velim, ô dulcis Amor meus, quod tam firma, tamque constanti voluntate statuerim te diligere, ut, etiamsi mihi nihil unquam, neque in hac, neque in altera vita, boni velles cõferre; imò si omnibus ærumnis afficeres, & suppliciis addiceres æternis, nihilominus tamen amare te velim, & ex intimis medullis cordis mei tibi servire: ne ad momẽtũ quidem (tua me gratia adjuvante) ab amore tuo desistens, aut quidquam remittens. Quod ut clementissime confirmare, & acceptare digneris, humillimè peto.

7. Quandò verò, piissime Domine, præcipis mihi, ut amem etiam proximum meum, pro tã dulci præcepto tibi gratias ago: & ideo, quantum possum, impello voluntatem meam, ad ipsum amandum: precorque ipsi à te omne bonũ, quo felicior, tibique gra-

gratior fiat: maxime N.N. à quibus rebellis mea voluntas nõ nihil abhorret.

Rogo dimitte illis omnia sua peccata: & concede, ut arripiant remedia necessaria ad vitam æternam consequendam: quod si noveris expedire, ut ego cream aliquo dono tuo, quod ipsis attribuas: ecce Domine Deus meus, nihil detrecto. Magna me voluptate perfundit amor, quo illos prosequeris: & perfectio, qua illos exornas: pro qua gratias tibi maximas habeo. Amen.

V.

ACTVS ADORATIONIS AD SS. Trinitatem.

Dominum Deum tuum adorabis. Lucæ 4.

Cultus latriæ, qui sólu Deo debetur, est actus internus simul ac externus, quo rãtionalis creatura Deum colit, humiliando sẽ, animo eum adorandi, & profitendi Deum.

1. O Deus immẽsæ Majestatis & magnitudinis, Pater, Fili, & Spiritus sancte. Ecce ego omni illa qua possum submissione & humilitate, positus corã tua divina Majestate, agnosco me creaturã, & opus manuũ tuarum, à te per omnia dependens: te universum absolutum Dominum: dignissimum, qui pro

pro tali ab omnibus habearis & honoreris, intima cordiali submissione humi prostratus, & ex profunda abysso mei nihili te adoro, adoratione latriæ: & tantę Majestati in infinitum me submitto, omnemque reverentiam, & honorem, quē possū, exhibeo.

2. Ideoque invito quoq; & invoco Sanctissimam Virginē, beatos spiritus, & totā Curiā cœlestē; imò creaturas universas, ut mecum adorent, venerentur, & agnoscant tantam Majestatem, & jam nunc, una cum illis te adoro, & agnosco; imo isto meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus es, & quibus affici te conveniebat; omnes, inquam, eos cultus uno fasciculo cōprehensos, & colligatos, tibi offero, & dedico: illud unū supplicans, ut in me perfectissimè impleatur amabilis tua volūtas, qua me creasti, & ad tibi serviendum vocasti. Amē

VI.

ACTVS LAVDIS ET GRAtulationis.

Laudate Dominum omnes gentes. Psal. 116.

Laus quæ Deo tribuitur, consistit in omni actu virtutis; sive corde, sive ore, sive opere & externo quopiam signo, ad manifestandam excellentiam divinæ Virtutis, fiat. Et Congratula-

tulatio est actus gaudii, quo afficimur de bono alterius, quod jam consecutus est ac possidet.

1. EGo itaque O Domine volo nunc aspirante gratia tua, elicere hos actus, & cor meum excitare, dicendo affectu intimo animæ meæ. *Laudabilis super omnia Deus, & Dominus meus*: cum jubilo cordis mei pronuntio, totique mundo patefacio, quantum scio & possum, inæstimabilem magnitudinem, excellentiam, & magnificentiam tuam, quod sis Infinitus & Immensus: Immutabilis & Æternus: Potentissimus, Sapientissimus, Optimus, Sanctissimus, & infinitæ perfectionis, Creator cœli & terræ, primum Principium & ultimus Finis omnium rerum: qui omnia summa providentia regis & gubernas. Horum omnium causâ gaudeo & gratulor tibi.

2. Et ideo nunc ego magno applausu, & toto pectore te laudo, exalto, magnifico, veneror: atque utinam hoc possim absque cessatione præstare, semper & in omni loco terrarum tantum, quantum te exaltant, magnificant, honorant honorabunt, honorarunt, & honorare potuerunt simul omnes creaturæ, & omnes qui fuerunt, sunt, & futuri sunt.

3. Imo cupio simul reddere tibi omnes illas laudes, quas potuissent, possunt, po-

poteruntve deferre Beata Virgo ; sanctissima Humanitas Christi: & tantum, quàtum possunt adferre innumeri Mũdi, & infinitæ creaturæ, tam visibiles, quã invisibiles, quas omnipotens manus tua creare potest. Et tantas laudes, tantos honores desidero tibi exhibere, quantos nosti exhiberi posse, & quantos mereris.

4. Congratulor autem tibi, condelector, & lætor quod tu Deus meus, tam sis magnus, tamque laudabilis, ut neque vires omnis creaturæ, vel in terra, vel in cœlo, sufficiant ad te digne laudandum, & magnificandum : sed interim gaudeo, te ipsum, laudabilissime Domine, id, in supplementum illarum omnium, abunde præstare.

VII.

GRATIARVM ACTIO.

In omnibus gratias agite. 1. Thess. 5.

Gratiarum actio, est manifesta confessio accepti beneficii, tendens in benefactorem, in signum compensationis.

1. EGo nũc, liberalissime Deus meus, agnosco te omnipotentissimũ, misericordissimum, à quo omne bonum procedit: & confiteor à te mihi provenisse

nisse innumera beneficia, & singularissima dona, ab instanti conceptionis meæ, usque ad præsentem diem: qualia sunt Creatio, Redemptio, Vocatio, donatio S. Spiritus, Conservatio, & infinita alia ab istis profluentia & in iisdem contenta: licet eis fuerim indignissimus: maximè verò beneficio N. N. pro quo nunc, & pro omnibus aliis, tota contentione cordis mei, totisq; viribus, infinitas tibi gratias ago, sicut infinitus est amor tuus, & bonitas tua, qua illa mihi largitus es.

2. Agnoscens itaque me tibi obligatissimum, ô Bonitas infinita, & nesciens, neque valens referre tibi gratias, quantas deberem, & cuperem, invoco Iesum Christum, Beatam Virginem, & omnes creaturas, tam visibiles, quam invisibiles, ad agendas tibi pro me gratias: & illas, quas ipsæ, quocunque gratitudinis genere, modoque tibi reddiderũt, reddunt, & in æternum reddituræ sunt ego illas pro me nũc omnes tibi offero: & una cum illis, eodem affectu, recognitione; & gratiarum actione, tibi gratias ago.

3. Præterea in gratiarum actionem, & gratitudinem pro omnibus donis, & beneficiis concessis, & concedendis mihi, & aliis omnibus creaturis, quæ sunt, fuerunt, vel erunt; specialiter pro his, quæ

quæ copiosissime largitus es hucusq; sanctis Angelis, & hominibus, Beatissimæ Virgini, Sacrosanctæ Humanitati Filii tui, Domini nostri eo; quo maxime delectaris, ritu, modoque effero tibi Deus teipsũ, qui es complementũ, & perfectio omnium.

5. Neque his contentus, in signũ gratitudinis, ex isto mo. mento meipsum tibi dedico, dono, trado: cum desiderio & voluntate tibi fideliter serviendi & cordialiter æternum te amandi: humillimè rogans, ut hoc, quale quale munusculum, undequaque tua Majestate indignum, etiam antea mille nominibus tuum, acceptare digneris. Amen.

VIII.

ACTVS OBLATIONIS.

Sacrificium Sanctificationis offeres Domino. Eccl. 7.

1. O Dignissime Domine, Deus meus, Pater, Fili, & Spiritus S. agnosco me per omnia tuum: cùm quia me creasti, tùm quia me redemisti: ut omittam innumera alia beneficia mihi præstita: pro quibus si millies me tibi singulis horis impenderem: nihilominus infinitè tibi obstrictus manerẽ ac debitor. Quare ego jam talis; qualis sũ, liberè, & maximâ

mâ, qua possum efficacia, me tibi consecro, offero, & per omnia dono, in plenissimum holocaustum animæ & corporis mei: & omniũ quæ habeo, vel unquam possum acquirere.

2. Hoc autem facere cupio, eo modo, quo tu desideras, & quo maximè decet, ut me tibi offeram & consecrem. Ac proindè libentissimè, & liberalissimè submitto me sanctissimis tuis præceptis, & nutibus in perpetuum.

3. Et quia ego jam totus tuus sum, rogo ita me possideas, ut nunquam ipse mihi amplius restituar, aut mei juris efficiar: sed ut omne meũ velle, facere, dicere, non sit aliud, quàm quod voluntas tua sanctissima, & rectissima vult me velle, facere, dicere: & meum non velle, nõ facere, non dicere, sit itidem tuum non velle, tuum non facere, tuum non dicere: fiatque purè solũ, quando, quomodo, quãtum tibi, dignissime Domine, placet à me fieri, non aliter

4. Præterea offero tibi omnia bona spiritualia, cogitationes, verba, & opera bona, quæ fecerunt, faciunt, facturi sunt omnes homines, qui fuerunt, sunt, futurive sunt unquam in hoc mundo: imo omnes istas cogitationes, verba, & opera bona, quæ possent habere infiniti homines, quotque creari possunt à tua omnipotentia: ita ut

si

si possem ex amore tuo eadem facere vellem illa efficacia qua tu scis maximâ fieri posse : & illo modo, qui esset Majestati tuæ gratissimus.

5. Offero quoque tibi omnes pœnas, dolores, & omnia mala pœnosa animæ & corporis, quæ passus sum ego, patior, aut patiar, quæque passi sunt, patiuntur & passuri sunt omnes homines, sive in mundo, sive in purgatorio, sive in inferno, in satisfactionem justitiæ tuæ, & augmentum gloriæ tuæ.

6. Præcipuè tamen offero tibi pretiosum sanguinem, & infinita merita Domini mei Iesu Christi; cum meritis Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & una cum illis omnia supradicta, sicuti etiam omnes meas cogitationes, verba, opera, studia, occupationes, actus hodiernæ diei, & totius vitæ meæ, idque toties, quoties spiritum duco, ut totus in ænum sim tuus. Amen.

IX.

ACTVS RESIGNATIONIS ERGA DEUM.

Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum. 1. Pet. 5.

1. MI piissime Domine, omni affectu cordis mei abnegato per omnia,

mnia, tibi me totum resigno; & maximo quo tu scis fieri posse, desiderio: & quantum per me fieri potest, perfectissimè voluntatem meam in tuum divinum beneplacitum transfundo: in quo solo cupio mihi complacere, quiescere, & in nulla re alia

2. Quare te rogo, velis de me, meisque rebus omnibus disponere, quo modo, & quantum tibi placet, & videtur conducere ad majorem tuam gloriam.

Sic igitur totus in te resignatus, offero me paratum ad acceptandum à potentissima tua manu, quidquid mihi acciderit in hac vita, sive illud prosperum, sive adversum fuerit.

3. In summa, ita sine omni exceptione tuus esse volo, ut, me ipso exspoliato, & omni mea proprietate exuto, sanctissimæ tuæ voluntati (quandoquidem meam jam tibi donavi, & irrevocabiliter dono nunc, & in perpetuum) omnes meas cogitationes, verba, & opera, tam interna, quam externa, & omne meum esse, & posse, quę gratia tua dignatus es mihi largiri, permittam, resignem, transcribam.

4. Neq; volo quidquam velle, aut non velle, nisi quomodo, quando, & quantum tu vis: & non vis: ita ut tuum Beneplacitum sit meum summū, & ultimum desiderium.

siderium, jucunditas, consolatio, omni tempore & in re qualibet. Quare piissime Domine, assiste mihi, tua sanctissima gratia (sine qua scio me nihil posse) ut omnia cedant in honorem & gloriam tuam, & perfectissimè adimpleatur sanctissima tua voluntas. Amen.

X.

DELECTATIO DE DEO.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Psal. 36.

Verum gaudium est delectatio, ex illis rebus profecta, quæ Dei sunt, quia vera materia omnis gaudii est in Deo, & in excellentia ejus.

1. O Quantas ergo jucundissime Domine, causas habeo, jubilandi & exultandi: quandoquidem tu es Deus ille, qui est: nimirum infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Pulchritudinis, Misericordiæ, Iustitiæ, Fidelitatis, & innumerabiliũ aliorum Attributorũ, tamquam principiũ & finis omnis bonis.

2. Itaq; avidè, Domine mi, desidero, & volo in posterum, adjuvante gratia tua omnem animi mei delectationem, esse in te, ac de te solo, deque rebus quę tuę sunt, meque ad te pelliciunt.

3. Cõtrà verè fastidio, prorsusq; aver-

ſor hunc Mundum, & omnia, quæ illius ſint. Omnia præ te, Domine, arbitror ut ſtercora; abominor, ut rem contagioſam

4. Et cupio tuæ ſolius dulcedinis guſtu affici; tantumq; tuis è rebus gaudium & voluptatem capere, omnes verò res mũdanas & quæcunque cor meum à te avertunt, reſpuere, abhorrere, deteſtari. Ad hoc præſtandum adjuva me, Domine, tua pietate, ut ſerviendo tibi, cum gaudio, & perfectione, in hac vita, poſſim te cum Beatis videre, & frui in æternum in altera. Amen.

XI.

ZELVS HONORIS DEI, ET SALutis animarum.

Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me. Pſal. 68.

1. ZEloſiſſime Deus meus, *Dominus Zelotes*, & *Deus æmulator*, doleo, & ſummè crucior nomine omniũ illorum hominum, qui in ſuis actionibus, relinquentes verum & rectum finẽ, qui ſolus es tu, ſummum & unicum bonum; magis res temporales, & caducas, hujus Mundi, quærunt, & amant, quãte: & continuò peccantes, tradunt ſe in poteſtatem crudeliſſimi ſui hoſtis, Diaboli: id quod ſine magno mœrore, &

pœna

pœna, cogitare, & loqui non possum.

2. Quare, Deus meus, si ego solus, ob amorem & honorem tuum, sustinere possem omnes pœnas, omnia tormenta, quæ omnes servi tui passi sunt, modò per ejusmodi perpessionem efficere possem, ut nullus umquam te amplius offenderet, toto corde rogarem, ac supplicarem tibi pro hac gratia.

3. Quin potius, amore tui integre (si ita tibi placet) abdico me omnibus, si quæ forte extant apud te, meritis meis & bonis operibus: (si tamen unquam aliqua tibi verè grata præstiti) & offero illa tibi æterno Patri, unita cum meritis Filii tui, pro conversione totius Mundi, ut sic ab omnibus honoreris in terra, sicut in cœlo.

4. Et si possent omnia flagella; quæ aliis debentur, propter sua peccata meo tergo infligi ut ipsis parceretur, & meritum hujus mei supplicii, in bonum ipsorum cederet, etiã pro his te rogarem; & si ita expedit, jam humiliter te rogo.

5. Præterea tanti facio honorem; & gloriam tuam, ut eligam potius manere æternùm in inferno; & pati omnia tormenta, quam ut tu, vel unico momẽto, priveris tuo honore.

Sed tu interim, O Amor meus, non obliviscaris mei, sed dabis mihi gratiam, & fortitudinem ad

fustinendum illa, sicuti ego libenter, pro amore, & honore tuo, paratus sum illa acceptare.

XII.

ACTVS TIMORIS DEI.

Beati omnes, qui timent Dominum. Psal. 127.

Justus timor est anxietas quædam cordis, quæ retrahit hominem ab illicito usu membrorum, & sensuum exteriorum, internorumque affectuum: ne anima, vel omnino, vel ex parte, à Deo separetur; aut quærat delectationem in aliqua creatura, atque ita refrigescat ardor spiritus.

1. EGo itaque, timende ac tremende Domine, nūc considerans infinitam Majestatem, & magnitudinem tuam, in cujus conspectu tremunt omnes spiritus, cœlestes, terrestres & infernales, magnopere timeo, ne te offendā, & separer à divina tua gratia: sicuti aliis multis evenit, eo quod in conspectu tuo rectè non ambularent.

2. Itaque dum cogito solum, quod possim te offendere peccatis venialibus, ac mortalibus, horreo; & totis artubus meis contremisco, maximè quod agnoscam me omninò debilem & imbecillem, & nihil posse, sine gratia tua sin-

singulari.

3. Agnoscotamen etiam Domine, hûc timorem esse mihi valdè necessarium, & utilem; & ideo instanter illum à te peto; ipsumque ut in me augere, & animæ meæ imprimere velis, rogo, dicendo cum Psalmista: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

PIE LECTOR.

Similes aliarum virtutum Actus quære infra Sect. IV. *ubi propriam sedem habent.*

Cap. VI.

Contemplatio piissima,

ATTRIBUTORUM DEI, AD affectus & Actus virtuosos eliciendos relata.

Ex Blasio Palma *Clerico Regulari S. Pauli.*

I.

ESSENTIA DEI.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum Ioan. 7.

1. DOmine mi, tu es simplicissima Essentia, & ideo in omni genere perfectionum absolutè infinitus: nec quicquam tibi potest addi, vel deesse. In

comprehensibilis es respectu omniũ locorum, omnium tẽporum, omnium voluntatum, & omnium intelligentiarũ, absorbes omnia corda hominum & Angelorum, quo fit ut tu solus teipsum dignè comprehendere, metiri, intelligere, & amare valeas.

2. Immensus es implendo, penetrando, eminendo super omnes res creatas & creandas: immobilis, indeterminatus, incircũscriptus, immutabilis: quia non cadit in te umbra vicissitudinis, mutabilitatis, sed in eodem esse, & velle, semper es firmissimus.

3. Aeternus es absque principio, & fine: amplecteris unico puncto, indivisibilis æternitatis, omnem durationem & differentiam temporum.

4. Quia igitur, ut firmissime credo, tã grandis es, Domine mi, tua excellentia: nunc toto meo corde, summa cum humilitate & reverentia, te adoro & veneror: & quia dignus es omni amore, te in æternum amabo, integro & sincero amore.

Et præterea pro gloria tua desidero, ut omnes creaturæ in æternum te amẽt, agnoscant, revereantur, honorent & laudent.

5. Insuper gaudeo & delector; quoties cogito, te Dominum esse tam magnum, infinitum, incõprehensibilem, immensum, immutabilem, æternum, & in te inveni-

veniri omnes perfectiones prædictas.

6. Congratulor tibi intimo affectu cordis tuam tantam Majestatem, gloriam & beatitudinem, quam possides, & æternum possessurus es.

7. Duplici super-abundo consolatione, & jubilo cũ spero & considero istud ipsum tuum bonum, futurum aliquando meum: quo tecum in æternum fruar, modò fidelis in amore tuo permaneam. *Atque tum satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

II.

POTENTIA.

Apud Deum omnia possibilia sunt. Matth. 19.

1. O Deus meus omnipotens, tu es illa Potentia, quæ omnia, quæcũque vult, potest: & quæ nullam omninòin firmitatem admittit, neque unquã fatigatur operando: omnia ex nihilo producit, eadem facilitate ad nihilum itidem omnia reductura, si velit: nec quidquã illi resistere potest, sed omnia ipsi obediunt.

O adoranda, tremenda, & religioso silentio veneranda Omnipotentia! Tu Rex seculorum per te ipsum omnia potes: à te instituta est, & dependet omnis potentia, omnis vis, fortitudo, industria & energia omnium rerum. Tu Domine, per te ipsum potes

dare, agere non solũ omne illud, quod omnes homines, una cum SS. Angelis animo concipere possunt, sed etiam omne illud, quod infinita tua sapientia cogitare potest.

2. Complaceo mihi, & gaudeo, Domine, de tanta tua Majestate & Potentia; ex cujus consideratione, rogo te, ut profundissimam, reverentiam, & submissionem erga divinam tuã Majestatem animo meo imprimere velis.

3. Fac, Domine, ne ullum præter te timeam, & ne creatura ulla possit me separare ab amore tuo nam quid sunt omnes aliæ creaturæ si tecum conferantur, quam nihil? vel quid mihi mali, sine tua permissione, possunt inferre? quod si tamen ab aliqua permittas me affligi, hoc ipsum, Domine mi, cedit in meam salutem, & mihi cooperatur ad acquirendam vitam æternam. Et ideo omnem meam fiduciam pono, & repositam volo in te, Potentissime Deus, ac Domine, Amen.

III.

SAPIENTIA.

A Deo profecta est sapientia. Eccl. 15.

1. O Sapientissime Deus, tu es illa sapientia, quę comprehendit omne quod potest excogitari: ignorantia

tia in te nullum habet locum : omnes res scis nec falli potes vel errare : quia perfectissimè & distinctissimè omnia cognoscis : omnes res præsentes, præteritę, futurę, omnes possibiles, imaginabiles: omnia quę sũt & quæ non sunt, tibi, Deus meus, sunt præsentia, & in sancto tuo conspectu posita.

2. Tu puritate, & subtilitate tua penetras omnia, intimeque omnibus inexistens, aptè cuncta disponis.

3. O Sapientia admirabilis! hæc totã simul ambit æternitatem, & intra se totam Immensitatem capit, totã ad se trahit Infinitatem, omnia in ipsa quoddam habent æternum esse, & æternam vitam: Denique caret principio & fine, & per omnia est immutabilis.

4. Placet mihi, Domine, gaudeo, & congratulor tibi istam tuam profundissimam sapientiã, qua scrutator es cordium. Si ego vel parum hanc tuam sapientiam imminuere, vel obscurare possem, ne agnosceret malitiam meam & scelera mea, non facerem : imo potius vellem ipse destrui & annihilari, quam ut vel unico puncto tua sapientia minueretur. O sapientissime Domine, ex isto tuæ lucis inexhausto fonte radium aliquem diffunde, precor, in mentẽ meam, ut perfectè cognoscere possim

pulchritudinem virtutis, & turpitudinem peccati: ut hoc fugiam, illam autem prosequar, & magis magisque diligam; id, quod ad gloriam, & honorem tuum cedat sempiternum. Amen.

IV.

BONITAS.

Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Psal. 118.

1. DOmine & Creator omnis boni, tu bonus es non hoc vel illo modo, non in hoc vel illo genere bonitatis: sed absolutè, sine principio & fine: sine limitatione, sine modo, nisi eo, quo sine mensura præoccupas, & amplecteris omne bonum.

2. A te omnia dulcia trahunt suã dulcedinem: omnia pulchra suam pulchritudinem; omnia lucida suum splendorem; omnia, quæ vivunt, suam vitam; omnia, quæ sentiunt, suam sensationem; omnia, quæ moventur, suum vigorem; omnia intelligentia suam notitiam, omnia perfecta suam perfectionẽ: omnia demum qualicunq; modo bona hauriunt suam bonitatem.

3. Tu centrum Vniversi, ad quod naturali pondere res omnes feruntur, in quo omnia conquiescunt: â quo omnia sustentantur: in te sunt illecebræ omnis amo-

amoris, consummatio omnis desiderii, terminus omnis motionis, satietas omnis appetitus.

5. Trahe mentem meam ad te, O immensa pulchritudo & summa Bonitas, eamque ad te super omnes res creatas, vinculo indissolubili, & ligamento æterni amoris adstringe. Quid quæram & desiderabo extra te, qui es plenitudo omnis boni: fons, finis, suavitas, vis & medulla omnis boni? Valeant ergo aliæ res omnes te semper cogitem, amem: ad te contendam: tibi uni adhæream: in te commorer: te laudem, benedicam, & omnibus viribus animæ meæ, & tota vita mea uni tibi serviam. Omnes res transitoriæ, vel viles, vel charæ mihi sint: quatenus tuę bonitati congruunt: nullâ aliâ ratione illas contemnam, vel æstimē. Perfice me, secundum altissimū tuum beneplacitum in cogitatione & amore tuo: commuta me totum in te ipsum, ut unus tecum spiritus efficiar; ut jam non mihi, sed tibi vivam. Amen.

V.

SANCTITAS.

Non est sanctus, ut est Dominus. 1. Reg. 2.

1. DOmine, Deus meus, Tu dicēris Sanctus, & benè: quia tua Essen-

tia est prima radix, & origo omnis sanctitatis, & puritatis: imò est objectum, & mensura omnis sanctitatis: uno verbo, tu es principium efficiens, forma, exemplar, & finis omnis splendoris sanctitatis, qui in creaturis reperitur. Et per te ipsum sanctus es: per essentiam tuam: Tam perfecta est sanctitas tua, ut nihil quidquam ei possit addi: vel demi: quia est sanctitas essentialis, & universalis.

2. Gaudeo & complaceo mihi de ista tua sanctitate, fonte essentiali omnis pulchritudinis & puritatis: à qua omnes creaturæ intellectuales sanctitatem, & puritatem suam accipiunt. Hanc sanctitatem proposuisti nobis imitandam: non verò Potestatem, non Sapientiam, non altitudinem Majestatis tuæ, cum dixisti: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* (Levit. 11.) Non postulas tamen à nobis tantam, quãtam eminentia sanctitatis tuæ requirit: sed ejus saltem imaginem quandam; qualem scilicet cum gratia tua, infirmitas nostræ naturæ capere potest.

3. Hanc tuam sanctitatem, & puritatem veneror, honoro, amo, & admiror. Utpote cui omnis reverentia, honor & amor debetur. Hæc præsentia sua sanctificavit, & sanctificat totum mundum: unde quocumq; me verto, præsentem te

te conſpicio, & ubique exiſtentem te veneror, laudo, honoro, & benedico: tanquam in ſacro templo gloriæ tuæ. Singulari tamen modo animam meam, quæ multo capacior & auguſtior eſt mundo corporeo, ad ſimilitudinem Templi, cultui tuo ſanctificaſti, tibique in habitationem conſecraſti, & ideo intra me, in penetralibus animæ meæ te habitantem aſpicere valeo: hic in ſancto ſilentio tecum ipſo converſari, hic tecum delitiari poſſum: ibi te placare obſequiis: ibi te adorare: ibi à te iſtam ſanctitatem & puritatem petere: idque jam, Domine mi, toto corde, & omnibus animi mei viribus cupio facere, & impetrare.

4. Conabor etiam Domine, & nunc propono, totis viribus fugere omnes impuros, & inordinatos affectus, & omnes maculas animæ, quibus templum tibi ſanctum violari, & profanari poſſet: quia Domine, ſine dubio, ſicut neceſſario plurimũ diligis tuam ſanctitatem, ita neceſſario magnoperè odiſti peccatum, & omnem immunditiam deteſtaris.

5. Denique tibi, tanquam auctori, fini, regulæ & exemplari omnis ſanctitatis, à qua, ad quam, & ſecundum quam ſanctificantur omnes res in cœlo & in terra, ſit gloria, benedictio, gratia-

tiarum actio, ab omnibus creaturis in cœlo & in terra. Amen.

VI.

BENIGNITAS.

Ipse Dominus *benignus est.* Luc. 6. v. 35.

1. TV, mi Domine, Bonus diceris ratione perfectionis naturalis: ratione sanctitatis, & ratione beneficentiæ quæ nominari potest Benignitas: & hæc nihil aliud est, quam quædam naturalis tua propensio, tua bona communicandi cum rebus inferioribus, & creatis, pro capacitate cujusque.

O quam verè benignum te demonstras, Domine, quia cum nullius indigeres, tibique ipsi sufficientissimus esses, nihilominus ex nihilo res omnes creasti. Et ideò omnes res te laudant, tacitisque vocibus tuam benignitatem celebrant. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum,* &c Ps. 18.

2. Sed in genere nostro humano facilè omnium excellentissimè resplendet tua Benignitas. Tu ad imaginem, & similitudinem tuam nos creasti, & charactere vultus tui nos signasti: intellectum, memoriam, & voluntatē nobis dedisti, quibus divinæ gloriæ, & beatitudinis tuæ capaces effi-

ci-

cimur: divinis insuper auxiliis & ornamentis nos instruxisti, ut mereremur, & consequeremur tam præstantia bona. Angelos etiam nobis custodes, & rectores assignasti: tandem totum mundū creasti, & plurimis bonis instructum pro habitatione & solatio nobis donasti. Quid majus his beneficiis quid ista benignitate mirabilius fingi & excogitari potest? maximè cum hæc omnia feceris, ut hac ratione nos perduceres ad sedes cœlestes, participesque nos tuæ beatitudinis faceres.

3. Ergo quantus sum, & quātum possum, gratias tibi ago & innumerabiles gratiarum actiones refero tibi, Domine, pro tam insigni benignitate, & omnes creaturas invito ad te laudandum, & benedicendum: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula, &c.*

4. Gaudeo Domine, quod tam benignus sis, & des temetipsum; & quasi abiicias ad res viles & infimas; quod infirma curare; abjecta erigere, humilia extollere gaudeas. Et ubi gravior necessitas, paupertas, miseria instat, ibi liberalius opes tuas effundere, & opem propensius adferre soleas: id quod proprium est veræ Benignitatis.

5. Doleo & pœnitet me, non imitatū fuisse istam tuam Benignitatem: quia fui sæ-

sævus, asper, impius erga proximũ meũ: Ideò nũc toto corde humillimè à te veniam peto, & propono, te adjuvante istud inhumanitatis vitium emendare, & esse benignus, suavis, & amabilis erga omnes, idque studio imitandæ divinę tuę benignitatis.

Quia ab ista tua benignitate proxime, & immediatè provenit amor tuus, & diffunditur in omnes creaturas, quovis bona tua cum illis esse communia. Quare obsecro, velis igne isto accendere cor meum, ut fiam benignus, & charitateplenus. Amen.

VII.

PROVIDENTIA.

Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima, & antiqua. Psal. 138.

1. Providẽtia tua, Domine, gubernat omnia, à sũmo cœlo usque ad infimas partes terræ: à supremo Spiritu usque ad abjectissimum vermiculum. Hæc ab æterno omnes res cogitavit, concepit, distinxit, apteque disposuit. Sine lege istius nihil prorsus oritur, nihil moritur, nihil operatur, movetur, quiescit.

2. Væ mihi, qui toties quæsivi & vivere volui secundũ imprudens meum judicium: & ideo dum volui subterfugere divinæ tuæ Providen-

dentiæ manum, quæ me ducebat ad vitã, in mille pericula, errores, & peccata, impegi: simulq; incurri justissimas pœnas, consilio Providentiæ tuæ miseris peccatoribus constitutas, ad gloriam infinitæ tuæ Iustitiæ: quam, dum stolide me propipiebam à Benignitate, & Misericordia tua; vel invitus incurrebam: &, ô me miserum? thesaurizabam mihi pœnas Iustitiæ: & dum subtrahere me volebam suavi jugo divinorũ tuorum præceptorum, submittebam me durissimæ servituti dæmoniorum: & dum spernebam æterna præmia promerebar æterna supplicia.

O stultitia, sanguineis lacrymis deplo-

randa! pœnitet: ah toto corde me pœnitet: humillimeq; à te veniam peto.

3. Obsecro te, Domine, per omnia mirabilia dulcissimæ Providentiæ tuæ, aufer à me hanc stultitiam, & da gratiam, qua semper ante oculos geram tuam illam Providentiam: ut quidquid prosperi vel adversi acciderit mihi, ab ipsa mihi provenire intelligam, idque de manu tua pro magno beneficio accipiam. Hæc dirigat omnes res meas, illasque gubernet usque in finem, prout novit expedire ad gloriam tuam, & meam salutem. Quibuscunque mediis uti voluerit, prosperis, an adversis: honore an ignominia: infamia an

bona

bona fama; abundãtia, an penuria: infirmitate, an sanitate: vita, an morte: nihil recuso, nihil repudio: quidquid elegerit ipsa, id rectissimum judico, & ut gratissimum exosculor.

Hoc unicum enixum meum desiderium & votum est, voloque, ut semper sit, Facere, dicere, cogitare, mi Domine, sicuti tu judicas utilius esse ad gloriam tuam & meam salutẽ, ut in omni æternitate te contempler, admirer, amem honorem, laudem, benedicam, in omnibus rebus, & super omnia. Amen.

VIII.

MISERICORDIA.

Misericordia Domini plena est terra. Psal. 32.

1. MIsericordissime Domine, tu illa immensa Misericordia es, quę excedit infinitè omnem miseriam, & malitiam nostram. Primum enim, tu eduxisti me ex nihili tenebris, & dedisti mihi vitam, & nobilem naturam, factã ad imaginem tuam, & cum ea maxima ornamenta, intelligentiam, judicium, rationem, memoriã, voluntarem, cõtulisti. Deinde ab humili statu naturæ elevasti me ad sublimẽ statum gratiæ, adoptãdo me in filium tuum. Præterea primis duobus statibus alium nobilissimum ad-

adjunxisti, nimirum statum gloriæ : nam multò perfectiora, & excellentiora sunt dona gloriæ, quam gratiæ. Ad hunc gradum immensa tua bonitas, & misericordia me destinavit & ad eum consequéndum tot præsidia & adminicula ministravit : ut sunt sanctissima Sacramenta, relicta, & acquisita nobis à Christo Iesu, Domino nostro qui etiam, pro complemento & cumulo omnium beneficiorum sanctissimum Sacramentum pretiosi Corporis, & Sanguinis sui nobis reliquit.

2. Ah Domine, illumina cor meum, ut possim cognoscere immensam misericordiam tuam, cognitamq; magni faciam, & habeã semper ante oculos, uti ducem & regulam; donec miseræ hujus vitæ vinculis expediar, & anima mea obstricta tantæ benevolentiæ nexibus & tam exquisitis beneficiis, correspondeat, toto corde te amando, totam se dedicando, sanctoque tuo servitio & honori se mancipando.

O serviam tibi Deus meus, tota vita mea: nihil aliud cogitem, quam facere, quod sit ad gloriam tuam, & ad eandem tanquam ad scopum optatissimum omnes meæ actiones, vires, dotes tum naturæ tum gratiæ dirigantur.

3. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.*

Be-

Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui ſanat omnes infirmitates tuas:

Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuum, & ſic renovabitur, ut aquilæ juventus tua.

Benedicite ſimiliter mecum Domino omnes Angeli, & Archangeli: & vos omnes Principatus, & Poteſtates, omnes Virtutes & Dominationes, omnes Throni, Cherubim & Seraphim: Benedicite, inquam, & laudate, & iterum ſine fine laudate communem Dominum noſtrum: quia fecit nobiſcum non ſecundum iniquitates noſtras, ſed ſecundum magnam & Paternam miſericordiam ſuam Laudate illum Cœli, Terra, Mare, & omnia, quæ in eis ſunt: Laudent & ſuperexaltent eum in ſæcula. Detur ergo Deo gloria ab omni creatura; benedicat, & gratias agat Domino, omnis creatura in omni loco Dominationis ejus: & hoc fiat in ſæcula ſæculorum. Amen.

IX.

IX.

IVSTITIA.

Justitia plena est dextera tua. Psal. 47. *Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Psal.

1. NVllus, Domine, dignè potest exprimere magnitudinem, & multitudinẽ supplíciorum, quæ peccatoribus præparasti; & assignasti olim perferenda, per omnipotentiam tuam. Sicut misericordia tua est infinita, ita infinita est justitia tua; quæ infinitis modis non solum in futuro seculo, sed etiam in isto, quod proprium est misericordiæ, contra peccatores manifestabitur: ut omnes discant te timere; & qui benignitate suavissimi Patris non moventur, saltem severitate justissimi judicis terreantur, qui non sinet malum ullum impunitum, neque bonum ullum irremuneratum abire quia apud te non est acceptio personarum, cum sis justissimus judex.

2. Delectat me Domine, placetque mihi hæc tua justitia, qua si vel tantillum possem te privare, ne posses punire peccata mea, non facerem: imo protestor, si malitia mea, duritia, & obstinatione nollem converti ad pœnitentiam; atque adeò si induratus, im-

impœnitens, desperatus mori vellem (quod grande malũ ô Deus meus, procul averte) Si tamen eo usque desiperem, ex hac hora protestor, & volo, ut justitia tua locum habeat, mittatque me ad æterna supplicia: ut quia voluntariâ, & salutiferâ pœnitentiâ nolui glorificare misericordiam tuam, saltem in tormentis glorificẽ justitiam tuam.

3. Sed, ô mi dulcissime Domine, dum ago hanc vitam, possum per gratiam tuam provocare à tribunali justitiæ tuæ ad tribunal Misericordiæ tuæ: & ideo hac hora, pro semper, magnâ fiduciâ Domine, toto corde, tota anima, totis viribus misericordiam tuam appello, teque obsecro per Iesum Christum Filium tuum, ut ignoscas mihi peccata mea; ne horrendo Iustitiæ tuæ tribunali reus sistar. Sancte promitto, me in posterum, cum divino auxilio tuo, emendare velle vitam meam, & vivere, ut decet servum bonum: ut per veram pœnitentiam, suavius & dulcius tua misericordia glorificetur. Amen.

X.

FINIS VLTIMVS,

Ego sum, α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus. Apoc 1.

1. QVemadmodum tu, Domine mi, es prima, & suprema causa efficiens

ficiens rerum omnium, ita pariter es ultimus finis earundem : ac præcipuè creaturæ rationalis. Vnde oportet me longè à creaturis animo recedere, nullamque in eis spem collocare ; quia permultum me impediunt , quo minus ad felicem illum, & ultimum meum finem perveniam, propter quem tu me creasti; qui es verum, unicum , & summum bonum meum.

2. Vnde nihil mihi magis curæ ac cordi esse debet, quam ut conjungar tibi visione, amore, gaudio ; in qua unione consistit & meum summum bonum, & summa tui gloria. Quare omnes delectationes & illecebras hujus vitæ , in comparatione hujus maximi boni non nisi ut meras sordes & stercora arbitror. Et ex hoc momento temporis dirigo omnes meas cogitationes, opera, & desideria ad hunc finem neque fatigabor, aut desistam, donec ad eundem perveniam.

3. Verum quia ex me ipso non sum idoneus ad tam magnum bonum; ad te, ô misericordissime Deus, recurro ; ut per immensam bonitatem tuam tanto magis me adjuves, ac provehas, quanto ego sum infirmior. Recordare, obsecro, finis ad quem ab æterno me destinasti, ne irritum sit in me sanctissimum consilium, ac desiderium tuum.

4. Illumina mentem meam lumine sancti Spiritus tui, quo directore, possim perfectè cognoscere vanitatem hujus mundi, & pericula, quæ in ipso latent, deprehendam. Ex altera vero parte intelligam quoque magnitudinem, excellentiam, suavitatem immensorũ bonorum, quæ mihi in te ipso præparasti: pro quibus toto corde tibi gratias ago, & omni vanitati lubens renuncio.

5. Fac, mi Domine, ut mens mea aliud non cogitet, nec quicquam intellectui meo tã firmiter imprimatur, quam hic Vltimus Finis: ut spretis per omnia omnibus caducis, & temporalibus, me protinus elevem ad amandas res æternas & hunc felicem & ultimum meum finem desiderandũ.

Nunquam dehciant mea bona desideria, nec cessent suspiria, vel gemitus pro illa felici Patria; neque ego unquam cessem pugnare cõtra meipsum, quemadmodum etiã nunc propono facere, donec perveniam ad stadii hujus metam, quando omnes Sancti requiescent in te summo Bono & ultimo Fine: pro quo tam heroicè decertaverunt, usque ad glorioßimam victoriam. Amen.

CAP.

Cap. VII.

HYMNI RYTHMICI.

I. De Sanctissima Trinitate.

Profitentes Vnitatem
Veneremur Trinitatem
Pari reverentia.
Tres personas asserentes,
Personali differentes
A se differentia.
Hæ dicuntur relativè,
Cum sint unum substantive;
Non tria principia.
Sive dicas tres, vel tria;
Simplex tamen est usia,
Non triplex essentia.
Simplex, esse simplex posse:
Simplex velle, simplex nosse;
Cuncta sunt simplicia.
Non unius quam duarum,
Sive trium personarum
Minor efficacia.
Pater, Verbum, Sacrum Flamen,
Deus unus, sed hi tamen
Habent quædam propria.
Vna virtus, unum Numen;
Vnus splendor, unum lumen.
Cuncta sunt hic paria.
Patri Natus est æqualis,
Nec hoc tollit personalis
Amborũ distinctio

Patri Compar, Filio. que;
Spiritalis ab utroq; Procedit connexio.
Nō humana ratione
Capi possunt hæ personæ;
Nec harum discretio.
Non hic ordo temporalis,
Non hic situs aut localis
Rerum circumscriptio.
Nil in Deo præter Deum,
Nulla caussa præter eum,
Qui creavit omnia.
Digne loqui de personis,
Vim transcendit rationis;
Superat ingenia.
Quid sit gigni, quid processus,
Nescit homo, licet gressus
Tentet per sublimia.
Quisquis credit nō festinet;
Et à via non declinet
Abiens per devia.
Servet fidem, formet mores,
Nec deflectat ad errores,
Credat quod Ecclesia.
Vt in una jam moramur,
Sic in una moriamur
Fidei constantia.
Trinæ sit laus Vnitati,
Sit & simplæ Trinitati
O æterna gloria
Amen.

II. DE SANCTO SPIRITV.

QVi procedis ab utroque Genitore, Genitoque

SPI-

Spiritus paraclite,
Redde linguas eloquentes,
Sed accende primum mentes
Charitatis fomite.
Tu procedens à duobus,
Coæqualis es ambobus:
In nullo disparitas.
Par majestas personarum;
Par potestas singularum;
Et communis Deitas.
Amor Patris, Filiique,
Par amborum, & utrique
Gloria consimilis.
Cœlos imples, terras foves.
Mare domas, cuncta moves
Permanens immobilis.
Tu commutas Elementa,
Per te suam Sacramenta
Præstant efficaciam.
Tu malignam vim repellis;
Tu subvertis & refellis
Hostium nequitiã
Te docente nil obscurum;
Te præsente nil impurum;
Cuncta sunt splendentia.
Gloriatur mens jucunda;
Per te sana; per te munda
Gaudet conscientia.
Quando venis, corda lenis;
Quando subis, atræ nubis
Effugit obscuritas.
Sacer ignis pectus uris,

Non comburis, sed à curis
Eruis, dum visitas.
Mentes prius imperitas,
Et sopitas, & oblitas
Erudis & excitas.
Cor ad fidem facit pronum,
Ori muto reddit sonum
Manans à te claritas.
O quam felix, quam festiva
Dies, in qua primitiva
Conditur Ecclesia!
Vivæ sunt primitiæ,
Nascentis Ecclesiæ
Tria plebis millia.a
Panes legis primitivi b
Vna fiunt adoptivi
Fide duo Populi.

Nempe duos unum fecit,
Cum duobus se præfecit
Lapis caput anguli.
Tu perversos corde vitas,
Sed synceros mente ditas
Dono sapientiæ.
Veritatem notam facis;
Et ostendis viam pacis;
Semitas justitiæ.
Dat liquorem Helisæus c
Largum fundit rorem Deus,
Vbi vasa vacua.
Vt res novi non vetusti, d
Sunt capaces novi musti;
Tu fac corda congrua.
Non hoc musto vel liquore,
Non hoc sumus di-

a Act. 2. b Levit. 23. c 4. Reg 4. d Matth. 9.

gni

gni rore
Si discordes moribus.
In obscuris vel divisis
Sancta nequit paraclisis
Habitare cordibus.
Consolator alme veni:
Linguas rege, corda leni.
Nihil fellis vel veneni
Tui fert præsentia
Nil jucundum, nil amœnum,
Nil salubre, nil serenum,
Nihil dulce, nihil plenum
Sine tua gratia.
Tu cœleste condimentum
Medicamen & unguentum
Aquæ dirans elementum
Virtute mysterii.
Nova facti creatura,
Te laudamus mente pura,
Iræ prius ex natura,
Gratiæ nunc filii.
O qui dator es & donum,
Tu qui condis omne bonum,
Mentis dona gaudium.
Tange corda, terge sordes,
Vinclo pacis, fac concordes,
Adsis ad præsidium.
Sicut post ascensum Christi
Rudes linguis imbuisti
Variis Discipulos:
Sic nos vise; sic dignare
Dissidentes congregare
Una fide populos.
Demum mortis ab hac

hac valle,
Duc ad vitam recto calle
Lætos de victoria.

Vbi Patris, ubi tui,
Et æterni Verbi frui
Mereamur gloria.
Amen.

SECTIO II.

De cultu & veneratione Sanctorum cum Christo regnantium in cœlis.

PRO FERIA SECVNDA

Hæc Sectio duas complectitur partes; unam de Cultu & Veneratione SS. Angelorum: alteram de Cultu & Veneratione SS. Hominum.

PARS I.

DE SS. ANGELIS.

CAP. I.

LITANIÆ

DE SANCTIS ANGELIS.

Ex Sacra Scriptura Collectæ.

KYRIE ELEISON. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiri-

Spiritus S. Deus, miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.
S. Michaël princeps cœlestis exercitus, — *Dan.* 10
Qui prælium magnum in cœlo cum Dracone cõmisisti, — *Apoc.* 12
Qui Draconem cum Angelis apostatis de cœlo projecisti — *ibid.*
Qui cum Diabolo disputans, de corpore Moysi altercatus es, — *Jud. Ep. Deut. ult.*
S. Gabriel, qui Danieli divinam visionem patefeciſti, — *Dan.* 9.
Qui cum Azaria & sociis ejus in fornacem descendens, flammam ignis excussisti, — *Dan.*
Qui Zachariæ Ioannis ortum & ministerium prænunciasti, — *Luc.* 1.
Qui missus à Deo ad Mariam in Nazareth, Incarnationis Verbi Dei nuncius extitisti, — *Luc.* 1.
S. Raphaël unus è septem spiritibus qui assistunt ante Dominum, — *Tob.* 12.
Qui Tobiam Iuniorem fidus viæ comes salvum duxisti, — *Tob.* 5.
Qui dæmonium à Sara depulisti, — *Tob.* 8.

Ora pro nobis. Vel Orate pro nobis.

Qui Tobiæ seniori visum restituisti, *Tob.12.*
S. Seraphine, qui ignito carbone os Isaiæ purgasti, *Isa.6*
S. Cherubine, qui ad custodiendam viam ligni vitæ constitutus fuisti. *Gen.3.*
SS. Angeli qui super solium Dei excelsum & elevatum stetis, *Isa.6.*
Qui jugiter Deo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, concinitis *Isa.6.*
Qui Sodomitas cæcitate percussistis, *Gen.19.*
Qui Loth cum suis, de medio impiorum eduxistis, *Gen.19.*
Qui per scalam Iacob ascendistis & descendistis, *Gen.28.*
Qui Iacob de cunctis malis eruisti, *Gen 48.*
Qui Moysi legem Dei tradidistis, *Act.7.*
Qui Balaam cum asina ad maledicendum Israelitis pergenti restitisti, *Num22*
Qui ob peccatum Davidis septuaginta millia virorum de populo pestilentia percussisti, *2Reg.24*
Qui Danieli in lacum Leonum cibum procurasti, *Dan.14*

Ora pro nobis.

Vel

Orate pro nobis.

Qui

Qui Ioseph trepidum ad conjugium Mariæ Virginis animasti, *Mat.* 1

Qui Christi Nativitatem Pastoribus annunciasti, *Luc* 1.

Qui nato Salvatore gloriam Deo, & pacem hominibus gratulando decantastis, *ibid.*

Qui Ioseph de fuga cum puero Iesu & Matre ejus in Ægyptum monuisti, *Mat.* 2.

Qui Christum in agonia positum confortasti, *Luc.* 22.

Qui juxta sepulchrum Christi in albis sedentes, Christum redivivum mulieribus prædicastis, *Joan* 20

Qui Petrum è vinculis & manu Herodis mirabiliter liberasti, *Act.* 12.

Qui Lazarum in sinum Abrahæ deportastis, *Luc.* 16.

Qui hominum curam & custodiam à Deo mandatam accepistis, *Psal* 90

Qui semper faciem Patris, qui in cælis est, videtis, *Mat* 18

Qui super uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis, *Luc.* 15.

Qui orantium preces ad Deum

Ora pro nobis. *Vel* Orate pro nobis.

Orate pro nobis.

Deum defertis, *Tob. 4. &*
Qui ad supremum tribunal totum mundum tuba citabitis, *1 Thes. 4*
Qui Electos in fine seculi congregaturi estis, *Matt. 24*
Qui malos de medio justorum separabitis, *Matt. 13*
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines,

A cunctis periculis, per SS. Angelos tuos, Libera nos Domine.

Ab insidiis Diaboli, per SS. Angelos tuos, Libera nos Domine.

A peste, fame, & bello, per SS. Angelos, Libera nos Domine.

A subitanea & improvisa morte, per SS. Angelos, Libera nos Domine.

Te rogamus audi nos.

Peccatores,
Per SS. Angelos tuos,
Ut nobis parcas,
Ut Ecclesiam tuam regere & conservare digneris,
Ut reipubl. Christianæ pacem & unitatem largiri digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,

Agnus Dei, & Pater N.

Psalmus ex variis Psalmis.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

Lau-

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Benedicite Dominum omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbū illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui redimit de interitu vitam tuā: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconē.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eū: & eripiet eos.

Gloria Patri.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad tēplum sanctum tuum & confitebor nomini tuo Domine.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assisti-

sistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum.

CAP. II.

Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.

O Sancti Michael Archangele, cœlestis militiæ Princeps, qui semper stas in adjutorium populo Dei, & præliatus es cum magno Dracone, Serpente antiquo, eumq; projecisti de cœlo; & Ecclesiam Dei fortiter propugnas, ut portæ inferi nõ possint prevalere adversus eam; Oro te ex intimo corde, ut & mihi adsis in hoc difficili & ancipiti prælio, quod mihi fragili & inermi creaturæ cum eodem hoste gerendum est.

Tu esto mecum, ô Princeps fortissime, ut superbo Draconi, quem tu virtute divina gloriose vicisti, quemq; Christus supremus Rex noster, in assumpta nostra natura prostravit, fortiter resistere, eique feliciter prævalere possim; & ita de hoste triumphans, una tecum, & cum sanctis Angelis jugiter laudem Dei clementiam, qui quidem Angelis malis post peccati ruinam, justo judicio negavit misericordiam; nobis tamen hominibus post lapsum, tam misericorditer resurgere dedit ad gratiam.

CAP.

Cap. III.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

OBsecro te Angelice spiritus, Custos ac Tutor meus fidelis, ut me custodiæ ac protectioni tuæ ex divina bonitate commissum, in via pacis, prosperitatis & salutis, hodie semperq; dirigas atq; ab omni spiritu malo, gravique tentatione defendas.

Nosti enim dulcissime Custos, quia conditus sum ad Dei ipsius nostri Creatoris imaginem; redẽptus quoque pretio tam magno, id est Christi sanguine, de potestate Sathanæ: Tibi verò Dei providentia in curam & tutelam traditus. Et quorsũ hæc omnia? nisi, ut non perderet hostis invidia, quem tanta circumdat Dei bonitas & clementia.

Adsiste tu ergo mihi fideli custodia, ne frustrentur in me tanta divinę bonitatis insignia. Rogo te charissime Angele, per amorem clementissimi Dei, quo, cæteris Angelis reprobis de fastigio felicitatis suæ per superbiam corruentibus, tu unà cum bonis in gratia & gloria servatus es; Precor, inquã, ut & ego te favente & juvãte sentiam efficax Dei auxilium, quo server à lapsu & periculis, in gratia verò, bonisque operibus, & Dei creatoris mei cultu & amore constans permaneam; donec ad visionem ejus in cœlesti patria

tria perveniam, eũque unà tecum & Sãctis omnibus laudem per omnia sæcula. Amen.

Alia brevis, ad S. Angelum Custodem.

O Angele Dei, qui custos es mei; me tibi commissum pietate superna hac *die*, vel, *nocte*, *hora*, illumina, custodi, rege & guberna.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Vt custodiant te in omnibus viis tuis.

OMnipotens æterne Deus, qui me licet indignũ ad imaginem tuam creasti, & Angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti, da mihi servo tuo, illius ductu & custodia malorũ omnium tam animæ quam corporis pericula feliciter pertransire, & post hujus vitæ curriculum, cum illo ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum.

PARS II.

De Cultu & Veneratione cæterorum Sanctorum.

CAP. I.

MODVS RECITANDI ORATIONEM Dominicam: Vnà cum memoria & veneratione SANCTORUM.

Pater noster, qui es in cœlis.

O PATER ÆTerne, in cujus domo mansiones multæ sunt, ubi locum

cum Electis filiis tuis paravit Vnigenitus tuus; ad quem possidendum, jam plurimi ipso duce feliciter pervenerũt & nunc revelatâ facie vident Te suavissimum Patrem suum. Ecce nos exules Filii Evæ, de exilio ad Patriam, imò ad Te Patrem nostrum, intimis votis, & suspiriis anhelamus: idque tantò ardentius & confidentius, quia fratres nostros olim carnis & naturæ conditione nobis similes, illuc jam nos præcessisse novimus undè & nos tuâ gratiâ per eorum vestigia, & patrocinia eò perventuros speramus. Nam qui tàm abundanter replet in bonis desiderium eorum, num & nobis, utpotè filiis suis unam benedictionem non reservaverit? Meritorum quidem & justitiæ nostræ fiduciam non habemus; Sed quia copiosa Filii tui Redemptio non relinquit nos meritis inopes, hæc tibi pie Pater, inprimis obtendimus. O Pater, respice in faciem Christi tui, in quo tibi benè complacuit.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Adoramus te sanctissime Deus, quia tibi soli debetur omnis honor & gloria; undè & honorẽ ac amorem sancti nominis tui per nos semper & ubiq; diffundi ac promoveri rogamus. Omne quod agimus, dicimus, cogitamus, ad solius nominis tui gloriam dirigi volumus;

mus & optamus.

Ad hoc sicut excitamur exemplo, utinam sic & adjuvemur auxilio Sanctissimæ Virginis MARIÆ, quæ electa in Matrem Filii Dei, magnificabat non se ipsam, sed Dominũ, eò quod respexisset humilitatem ancillæ suæ; & fecisset illi magna qui potens est, & Sanctum Nomen ejus.

Itidem nos monẽt SS. ANGELI, quorum unicum officium & studium est sanctificare & laudare nomen Domini. Vndè & indefinenter tibi canunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nato autem Salvatore, mox gloriam Deo in excelsis concinunt; sed neque nũc desinunt laudare Deum; Vtinam & nos idipsum cum ipsis præstemus in omnem æternitatem.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Adoramus te Domine, quia Rex es summæ majestatis & potentiæ; & per Filium fecisti nos hæredes Regni tui. Vnde & per preces, lacrymas, gemitus & suspiria SS. PATRIARCHARUM & PROPHETARUM rogamus, ut quemadmodum illi regnum novi & Æterni Regis; Messiæ, inquam, Filii tui Adventum in carne tot suspiriis, & ardentissimis Votis desiderarunt; sic & nos, paratæ jam regni cælestis introitu, desideremus ab incolatu hujus sæculi ad regnum majestatis tuę citius perduci; ubi melior

melior est dies una super millia, in tabernaculis peccatorum. O beati qui habitant in domo tuâ Domine! O regnum tuum regnum omnium sæculorum! O quando pervenit in nos regnum Dei!

3. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terrâ.*

Adoramus te, Pater suavissime, quia non vis, nec potes velle, nisi quod justum, sanctum, ac salutare est; undè & supplices oramus per merita & intercessionẽ SS. Apostolorum & Discipulorum tuorum, ut sicut illi vocati à te, promptissimè voluntati tuæ paruerunt, dum ad unius jussionis vocẽ, mox relictis omnibus, te sequuti sunt; & demum jussi ire in mũdum universum, ad prædicandum Evangelium, nullis difficultatibus aut remoris abstèrriti, suscepérunt opus impositum: & hoc unum deinceps egerunt, ut homines docerent facere Voluntatem Dei, & servare mandata ejus, quorum observantia unica est homini ad salutem via; ita, inquam, fac, ut & nos studeamus cognoscere, quę sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta; cognitam verò perficere seriò curemus; ne simus ex iis, qui sciéntes Dei voluntatem, nec facientes, plagis multis fiunt obnoxii. Da quod jubes Domine, & jube quod vis.

4. *Panem.*

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Adoramus te, benignissime Pater, quia pascis nos à juventute nostrâ, & tã corpori, quam animæ paterno affectu necessaria provides. Vndè & precamur te per merita ac patrocinia SS. MARTYRUM tuorum, ut sicut illos in hoc sæculo inter tot pressuras, pœnas, & certamina, cibasti pane lachrymarũ in mensura; sed & sæpè aluisti eos in fame; vel certè (quia non in solo pane terreno vivit homo) pane filiorum, id est, patientiæ, spei, verbi tui, & consolationis, pane vitæ & intellectus confirmasti cor eorum, nunc verò vincentibus das edere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi tui. Sic & nobis in tot vitæ hujus angustiis & necessitatibus dare digneris escam corporis & animæ, in tempore opportuno; ne deficiamus in via, qua sustinemus & sequimur te. Vtinam assequamur, & satiemur cum ipsis nos quoque ab ubertate domus Dei!

5. *Et dimitte nobis debita nostra, &c.*

Adoramus te, Pater misericordissime quia multus es ad ignoscendum, & præstabilis super malitia. Vnde & supplices rogamus te per merita & intercessionem SS. CONFESSORUM tuorum, ut sicut illi viscera charitatis & misericordiæ erga proximos

mos nunquam clausa gesserunt; quin omnes offensas & injurias libenter & ultrò dimiserunt inimicis suis, orarunt pro persequentibus se, & benefecerunt his, qui oderunt eos; sic & nos parati simus ad dimittendũ proximis propter te; ut tu vicissim facilior sis ad ignoscendũ nobis, & propitius fias peccatis nostris; neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

Adoramus te, Pater amantissime, qui neminem tentas, sed intentator malorum es. Vndè & humillimè supplicamus per merita & rationes SS. Virginum, ut sicut illæ, licet ætate sexu, ac viribus debiles, attamen virili animo per gratiam tuam omnes tentationes, id est; Mundi illecebras, Carnis spurcitias, Dæmonis insidias, fortiter & feliciter vicerunt, ita & nobis tua gratia & ipsarum intercessione detur, nullis unquam tentationibus cedere; sed amore tui, viriliter resistere omnibus, quæ nos possent separare abs te, cui soli adhærere nobis bonum est, nunc & in æternum. Interim nihilominus tu Domine proba & tenta nos utrum sincere diligamus te. Sed ne patere nos tentari supra id, quod possumus; sed fac cum tẽtatione proventum & exitum: nam si gratiam tuam addas; & fidem nobis adaugeas,

geas, omnia poteri mus in eo, qui nos confortat.

7. Sed libera nos à malo.

Adoramus te, Pater mitissime, quia solus es bonus, & summũ hominis bonum: Vndè & rogamus per merita, preces, & patrocinia Omnium SANCTORUM, & Electorum tuorum, tecum jam in cœlo regnantium ut sicut illos ex hac corruptione *carnis*, in qua fomes omnis *malitia* est, & ex hoc *mundo*, qui totus in *maligno*, positus est; & à *Satana*, qui incentor *malorum* est, liberasti, eoque perduxisti, ubi liberati ab omni malo jam felices fruuntur omni bono, quod Tu ipse es: sic & nos ab omnibus malis & miseriis erepti, Electis tuis tandem aggregemur, ubi pariter te summum & omne bonum obtinere, & una cum Sanctis in æternum laudare possimus. Amen.

CAP. II.

LITANIÆ DE OMNIBUS SANCTIS

Ex S. Scriptura collectæ.

KYrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos.

Christe

Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nob.
Spiritus S. Deus, Miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Orate pro nobis.

S. Maria, quæ in Dei Matrem electa, benedicta inter mulieres, & beata diceris per omnes generationes. — *Luc. 1.*

Omnes SS. *Angeli* qui semper coram Deo, ad ejus laudes & obsequia; & ad hominum ministerium parati statis, — *Isa. 6.*

Omnes SS. *Patriarchæ* & *Prophetæ*, qui Messiæ adventum multis votis ac suspiriis desideraſtis, variisque figuris, ac vaticiniis præsignaſtis, — *Gen. 49. Isa. 7. &c.*

Omnes SS. *Apostoli*, & *Discipuli* Domini; qui reliquiſtis omnia, & Christum secuti estis, — *Mat. 4.*

Qui in omnem terram sonum Evangelii diffudiſtis, — *Ps. 18.*

Qui missi estis sicut oves in medio luporum, — *Mat 10*

Qui permansiſtis cum Christo in tentationibus suis, — *Luc. 22.*

Qui induti virtute ex alto, & Spiritu S. confirmati, in-

ere-

trepidè Christum confessi estis, Luc. 24

Qui sedebitis super sedes 12. judicantes 12. Tribus Israël. Mat. 19

Omnes *SS. Martyres*, qui piè viventes in hoc sæculo persecutionem passi estis. m 3

Qui in cruce Domini gloriati estis, Gal. 6.

Qui per Fidem vicistis regna, operati estis justitiam, adepti repromissiones, Hebr. 11

Qui ludibrio & verbera experti, insuper vincula & carceres, lapidati, secti, varieque tentati estis, ibid.

Qui persecutionem passi estis propter justitiam; & jam securi regnum cœlorum possidetis, Mat. 5.

Qui à Charitate Christi nulla vi, nec fraude, nec ipsa morte separari potuistis, Rom. 1.

Omnes *SS. Confessores*, qui militantes Deo non implicuistis vos negotiis sæcularibus, 2. Tim. 2

Qui positi fuistis à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, Act. 20.

Qui ut veri Pastores posuistis animas

Orate pro nobis.

animas vestras pro ovibus vestris, *Ioa.* 10.

Qui non vosmetipsos, sed gregem Domini fideliter pavistis, *Ezech.* 34.

Qui pervigilastis pro ovibus, tanquam rationem pro iis reddituri, *Hebr.*

Qui modestiâ, sollicitudine, & vitæ sanctimoniâ honorificastis ministerium vestrum, *Rom.* 11

Qui fideles ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei fuistis, *1. Cor.* 4.

Omnes SS. *Monachi* & Eremitæ, qui jugum Domini suave, & onus ejus leve alacriter portastis, *Mat.* 11

Qui tollentes crucem vestrã Christum secuti estis, *Mat* 16

Qui carnem vestram cum vitiis & concupiscentiis crucifixistis, *Gal.* 5.

Qui induti armaturam Dei fortiter stetistis adversus insidias Diaboli, *Phil.* 6.

Qui abundare & penuriam pati, saturari & esurire didicistis, *Phil.* 4.

Qui dignè ambulastis vocatione,

Orate pro nobis.

tione, qua vocati estis, *Eph. 4.*
Qui solliciti fuistis servare unitatem spiritus in vinculo pacis, *Ibid.*
Qui tamquam mortui sæculo vitam absconditam cũ Christo in Deo duxistis, *Colos. 3.*
Omnes *Sancti* & sanctæ Dei,
Qui non arbitrati vos comprehendisse, ad anteriora vos semper extendistis, *Phil. 3.*
Qui omnia detrimentum feciſtis, ut Christum lucrifaceretis, *Ibid.*
Qui quæ sursum sunt sapuistis & quæsivistis, non quæ super terram, *Colos. 3.*
Qui gratiam Dei in vacuum non recepistis, *2. Cor. 6*
Qui humiliastis vos in hoc sæculo, & ideò in cælis exaltati estis, *Luc. 18.*
Benedicti Patris A Eterni, qui regnum vobis ab origine mundi paratum possidetis, *Mat. 25*
Qui cum timore & tremore salutem vestram operati estis, *Phil. 2.*
Qui usi estis hoc mundo tanquam non utentes, *1. Cor. 7.*
Qui glorificastis, & portastis

Orate pro nobis.

stis Deum in corpore vestro, 1. Cor. 6

Qui per angustam portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam, intrare contendistis, Mat. 7.

Qui transiviſtis per ignem & aquam, & educti estis in refrigerium, Ps. 65.

Qui habitatis in domo Domini, & in sæcula sæculorum laudatis eum, Ps. 83

} Orate pro nobis.

Propitius esto: Parce nobis Domine,

Ab omni malo,

Per omnes Sanctos & Electos tuos,

Per dilectos & amicos tuos tecum in cœlo regnantes,

Per merita & interceſſionem omnium Electorum tuorum,

Per pretiosam in conspectu tuo mortem Sanctorum tuorum, Ps. 115.

} Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt participes nos facias omnium timentium te, & custodientium mandata tua, Te rogamus audi nos.

Vt exemplo Sanctorum conversatio nostra sit in cœlis, Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Vt sicut Electi in cœlo, sic & nos in terrâ voluntatem tuam promptè faciamus, *Mat. 6.*

Vt impleamur agnitione voluntatis divinæ, in omni sapientia & intellectu spirituali, *Coloss. 1.*

Vt Sanctorum intuentes conversationem, fidem quoque & patientiam imitemur, *Hebr. 13.*

Vt te Dominum in Sanctis tuis assiduè laudemus, *Psal. 150.*

Vt & nos cum Sanctis tuis per angustam portam intrare contendamus, *Luc. 13.*

Vt exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, *2. Cor. 6.*

Vt dignos nos facias in partem sortis Sanctorum in lumine, *Coloss. 1.*

Vt te in cœlis cum omnibus Beatis laudemus & superexaltemus in sæcula. *Dan. 3.*

Agnus Dei qui, &c.

CAP. III.

Orationes variæ ad Omnes Sanctos.

I.

Precatio ad omnes Sanctos Ecclesiæ Triumphantis vetus ac generalis.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine,

mine, nos ubique adjuvent, & intercessione sua lætificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Et pacem tuam nostris concede temporibus & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone. Benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternã concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

II.

ALIA ORATIO AD OMNES SANCTOS.

AVete omnes Electi, & Dilecti Dei, Angeli & Beati omnes, qui ab Aeterno ad gloriam & suprema bona Domini in terra viventium prædestinati, in omni gratia confirmati, & nunc cœlestis gloriæ bravio donati estis.

Iam enim SS. Trinitatem facie ad faciem lætantes intuemini eamque ineffabili gaudio sine fine laudatis.

Salve inprimis O sanctissima Domina mea, imò Mater Domini mei; Cœli, Terræque Regina, Patrona & Advocata nostra Virgo MARIA.

Salve & tu, mi Angele custos, cujus cura & tutelæ à divina bonitate cõmissus sũ

Salvete vos omnes dilectissimi Patroni mei præsertim N. & N. quibus me nunc & semper humillimè commendo.

Ego indignus laudo, honoro & imploro vos; & in augmentum gloriæ & exultationis vestræ offero vobis omnis salutis bonique fontem & thesaurum, nempè dulcissimum Cor Iesu Christi Domini Nostri.

Gratias ex corde ago Deo, qui vos elegit & iustificavit per immensam gratiam suam, qui prævenit vos in benedictionibus dulcedinis suæ; quique vos conservavit in via per omnia salutis obstacula, & sic demum beatificavit in gloria. Gratias æternas ago Deo, pro omnibus donis, & beneficiis, quæ in tempore dedit vobis: & in æternum daturus est.

Eja felices Amici Dei, obtinete mihi Clienti vestro plenam peccatorum veniam, & perfectam mei ipsius abnegationem, ut per viam angustam sequar vestigia vestra: Sed & pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum, seu tranquillitatem animi, intimū & sincerum Dei amorem, quo vos sucensi Mundum, Carnem, Dæmonemque & omnia vitæ præsentis adversa fortiter ac glorioſe vicistis, per vos supplex exposco.

Orate quæso pro me, nunc, & in hora mortis, quando hinc migraturus, & ad sum-

summi Iudicis horrendum Tribunal sistendus sum: ut non intret mecum in judicium, sed secundum infinitam misericordiam suam me judicet: ut sic demũ admitti possim in felicissimum vestrum consortium, in illa superna Ierusalem, ubi simul laudemus & superexaltemus Deum ac Dominum nostrum in sæcula. Amen.

III.

COMMENDATIO
ad SS. Patronos.

O Sancti Patroni mei, mihi singulariter electi & dilecti: Commendo me vobis ex toto corde per amorem Domini nostri Iesu Christi, & rogo vos per singularem illã & ineffabilem Dei omnipotentis bonitatem & misericordiã: qua vos ab æterno sibi elegit amicos & gloriæ ac regni sui prædestinavit hæredes.

Obsecro vos quoque per copiosam illam & efficacem Dei gratiam; qua vos in via, velut vasa misericordiæ præmuniit & præparavit ad gloriam.

Vos enim etsi in hac valle miseriæ, & fragili carne constituti, attamen indutí virtute de cœlo adversus omnes hostes vestros stetistis immobiles: nec ullis Mundi insidiis, aut Carnis illecebris, aut Dæmonis

artibus à charitate Christi Iesu separari potuistis; sed illi in finem & mortem usque constanter adhæsistis, ideoque velut invicti pugiles, nunc cum Christo duce vestro regnatis & triumphatis in gloria.

Congaudeo, & congratulor ex animo gloriæ & felicitati vestræ, Deumq; laudo, qui vos ita dilexit, & evexit, ô sancti Patroni mei: sed interim suspirat & anhelat, ad Vos gemens ac tremens anima mea, inter tot hostes, & salutis discrimina, rogans vos per divinæ misericordiæ viscera, & suprema illa, quibus nunc in cœlis fruimini, gaudia; ut mei clientis vestri memores apud altissimum tanquam Patroni fideles, obtineatis mihi efficacem Dei gratiam, qua & ego sequar vestigia vestra, & fortiter hostibus meis, Mundo, Carni ac Dæmoni resistã, nec ullis unquam ipsorum insidiis viribusque succumbã, sed Christo Salvatori meo in mortem usque exemplo vestro constanter adhæream, & sic vitam hanc mortalem instituam, ut nunc vobis in gratia & tunc conjungar in gloria, & Deum una vobiscum laudem per omnia sæcula. Amen.

IV.

IV.

COMMENDATIO ET OBLATIO

Ad SS. tres Magos & Reges, *quorum sacra Corpora religiosè asservat & colit Agrippina* COLONIA.

O Sancti Magi, Reges inclyti, Gentium primitiæ, Patroni magnifici, Rogo vos per amorem Domini nostri Iesu Christi, quo vos Reges ita dilexit, & allexit Rex Regum, ut desertis sedibus vestris & spretis lõginquæ viæ periculis & incommodis veniretis ad visitandum, & adorandum cœli terræque Regem in Bethlehem natum.

Rogo vos per virtutem gratiæ supernæ, qua vos misericorditer præventi recens natum mundo Salvatorem tam ardenter & studiosè quæsivistis; & inventum tam religiosè & reverenter adorastis; & elusis Herodis impii Regis insidiis feliciter in regionem vestram rediistis.

Rogo vos per eximias illas virtutes, Fidem, Religionem, & Charitatem vestram, quæ tunc in vobis, non stellâ tantum, oculos, sed magis ipso Iustitiæ Sole recens orto, mentes vestras illuminante, mirabiliter effulserunt. Vos enim, quamvis parvulum infantem, sine ullo apparatu regio, in humili tugurio, in vili præsepio,

inter jumenta jacentem & Vagientem videretis, attamen ut Dominum suprémæ majestatis forti & indubia fide agnovistis, & ut Regem Cœli & Terræ mysticis vestris muneribus magnificè honorastis, & ut Deum, ac Creatorem vestrum intima devotione, in terram procidentes, humiliter adorastis.

Rogo, inquam, vos per has virtutes vestras, & per amorem, & humanitatem, quâ vos, & munera vestra suscepit Salvator, dum parvulus natus est nobis; ut & me suscipiatis in tutelam vestram, & obtineatis mihi Tria à Christo munera pretiosa, & mihi inimis utilia; Fidem vivam, Spem firmam, Charitatem fervidam.

Obtinete mihi quoque Tres virtutes summè necessarias, virtutem puræ Castitatis, sincerè Humilitatis, & veræ Pietatis; ut his velut donis, à Christo liberaliter ego præventus, vicissim tantò promptius, & gratius offeram illi quantulacunque bona & dona mea, id est, Thus devote Orationis; Myrrham Mortificationis; & Aurum Charitatis, seu bonæ operationis. Ad majorem ejus gloriam, qui est Rex sæculorum immortalis, Amen.

V.

V.

Precatio de quolibet sancto Christi Martyre.

BEnedicam Dominum, tã gloriosum, potentem ac mirabilem in sancto suo N. qui tam præclarè in utraque tum militante tum triumphante, fulget Ecclesia.

Pretiosa ejus in terris vita, pretiosior mors, pretiosissima ejusdem in cœlis gloria, qua Rex æternus coronavit militem suum pro fide atque justitia ad mortem usque certantem, quia fundatus erat supra firmam petram, & tanquam aurum in fornace probatum resplenduit.

O invictum Christi athletam, quem non hujus vitæ blãdimenta, non hostium insidiæ, non supplicium vis aut tortorum immanitas; non vita neque mors, aut ulla creatura à charitate, quę est in Christo Iesu, separare potuerunt: O Sancte N. ora pro nobis, ut adversa omnia, tum nosipsos, & mortem quoque Dei amore vincamus, utque Christi calicem exẽplo tuo intrepidè bibamus, qui tecum à communi Domino in cœlis coronari desideramus.

VI.

Precatio ad quemvis S. Confessorem

DOmine Iesu Christe Rex gloriæ, & splendor Sanctorũ, gratias in-

gentes agimus tibi, qui tot præclara lumina, & ardentes quasi faces in Ecclesia collocasti, ut qui in domo tua vivunt, & aliena luce indigent, Sanctorum tuorũ vocibus, monitis, virtutibus, exemplis & scriptis passim illuminentur.

Inter alios verò Confessores sanctũ N. eximiè sublimasti, multis ut esset exemplo & patrocinio: cujus & precibus apud te cupimus adjuvari, ut cum tuis Confessoribus fidem Catholicã non solum corde & ore, sed etiam vita & opere perfectè confiteamur.

Vtque scientes & facientes Domini voluntatem, in domo tua, tanquam accensa luminaria, undiquaque splendere, & nomen tuum semper glorificare possimus. Qui vivis & regnas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VII.

Ad quamlibet sanctam Fœminam, præsertim Virginem.

LAudemus Deũ nostrum, qui inter cætera potentiæ suæ miracula etiam in sexu fragili multa & miranda patravit; alias quidẽ aliis præcellentibus virtutum & gratiarum doribus ornans sed præcipue generosum & pluspquam virilem animum teneris & infirmis vasculis, præsertim virginibus, inserens, ut tyran-

tyranni minas mortem & tormenta cõtemnerent, & ad agonem non aliter quam ad delicias & epulas pergerent.

Hæc Dei magnalia in te hodie præcipuè veneror O dilectissima Christi sponsa, N. & simul per tantam tibi à Christo concessam gratiã supplex precor, ut & mihi majorem gratiam Deo placendi, meamque vocationem complendi impetres: Et maximè quidem, ut in vera fide, charitate & patientia indies proficiam, mundi illecebras & carnis voluptates sanctæ continentiæ, & abstinentiæ studio vincam, nihilque Christi jugo suavius, & amore charius sentiam, quoad tecum beata immortalitate potius, Deum laudem in sæcula.

VIII.

Precatio ad quemlibet Sanctum, cujusque ordinis.

GRatulor tibi ex animo sancte Dei N. quem Rex æternus gloria & honore cœlesti mirificè coronavit, & supremæ curiæ principibus in regnõ suo sublimiter aggregavit. Et quoniã nõ est, cur de teipso solicitus esse velis aut debeas, nostri & fratrũ curam, quæso, geras & in charitate illa quæ non excidit, amarer procures quæ nobis ad bene beateque vivendum imprimis

mis necessaria esse nosti succurre intercessione tua in his tantis vitæ periculis & inter hostes medios constitutis, ut à maculis expurgati, ad vos communeq; patriam securè proficiscamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

SECTIO III.

De Pœnitentia seu conversione Peccatoris, & exercitijs huc spectantibus.

PRO FERIA TERTIA.

CAP. I.

ORATIO DOMINICA

Varie adusum Pœnitentium accommodata per Parabolam Filii Prodigi.

Pater noster, &c.

O Pater amantissime, qui majori affectu & cura solicitus es pro filiis tuis licet indignis, quàm ullus pater, imo quàm mater ulla pro filio uteri sui; Heu quo deveni miser ego culpâ meâ & sponte à tali Patre discedens, gratiamque ejus & bona mihi tam liberaliter concessa dissipans! Eheu fovebar olim velut in sinu dulcissimi Patris mei; nutriebar in domo ejus, mensæ particeps eram; utpote filius, & nihil mihi deerat. Nunc versor in regione longinqua, inter alienos, & ignotos peregrinus, exul,

exul, famelicus & nudus.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Quot nominibus debui, quot modis potui sanctificare, redamare, & glorificare te Patrem infinitæ majestatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatis; tot beneficiis prævenire tus, tot subsidiis munitus! Doleo, quod non fecerim! en ex hoc momento totis præcordiis meis quàm intensissimè desidero id facere in æternũ.

2. *Adveniat regnum tuum, &c.*

O quàm stultè duram Mundi, Carnis, Diaboli tyrannidem elegi præ dulci jugo tuo! lassatus jam in via iniquitatis & perditionis, quàm avidè rursus aspiro ad paternum regnum, ad regnum gratiæ, & gloriæ tuę ubi pax, & gaudium in Spiritu sancto!

3 *Fiat voluntas tua &c.*

O quot malorum mihi causa extitit mea propria, perversa voluntas, quâ contra sanctissimam tuam voluntatem sic abusus sum, ad reatum culpæ & pœnæ contrahendum, quâ uti debebam ad augmentum gratiæ & gloriæ promerendum! non mea, sed tua sanctissima volũtas deinceps semper, & in omnibus, de me, & à me fiat, sicut fit à Beatis in cœlo.

4. *Panem nostrum &c.*

O Pater liberalissime satians Electos tuos ab ubertate domus tuæ: à quibus ego nimis stultè segregavi me, quanti mer-

mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo! Heu neutriebar olim croceis, & pane filiorũ; nũc vix siliquis porcorum inanem ventrem impleo. O utinam liceat mihi, si non ut filio, saltem ut mercenario rursus vesci pane gratiæ tuæ!

5. Et dimitte nobis. &c.

En prostratus coram te clamo: Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. Doleo, quod unquam offenderim te: ignosce, sicut & ego ignosco omnibus, propter te.

6. Et ne nos. &c.

Recepisti me nũc quidem Pater in gratiam cum osculo pacis, confirmgis me brachiis charitatis; sed nosti infirmitatem meam; obsecro, ne permittas me in æternum amplius separari à te, & abire vagum per desideria cordis mei.

7. Sed libera nos. &c.

Præserva, & libera me ab omnibus malis; hujus & futuræ vitæ, quatenus obsunt gloriæ tuæ & saluti meæ promovendæ, ut absq; impedimento tibi perfectè serviam in terris, & beatè te fruar in cælis, ubi exclusoomni malo, tueris omnia in omnibus & summum bonum diligentibus te in æternum.

Amen.

ALIA

ALIA ORATIO DOMINICA

Ad Deum Patrem recitanda;

Vt per virtutes & merita Filii ejus, nostra vitia & defectus expientur.

Pater noster. &c.

O Sanctissime Pater, per immensam illam charitatem, qua dedisti nobis, ut filii Dei nominemur & simus, rogo Te eximo corde, ut clementer ignoscas mihi, quod te amantissimum Patrem meum hactenus debito honore & filiali amore prosequi neglexerim, sed te peccatis meis frequenter & graviter offenderim, teq; ex corde meo, in quo velut in cœlo & solio tuo, propriam sedem habere debueras, peccatis meis sæpius turpiter ejecerim.

O clementissime Pater, respice in faciem Christi Filii tui; & miserere mei. Rogo in unione illius infinitæ charitatis, qua ab æterno Filium tibi coæqualem genuisti: & tempore præordinato hominem fieri pro nobis voluisti: Rogo in virtute abundantissimæ satisfactionis, quam idem dilectissimus Filius tuus, & innocens frater noster Iesus Christus, tibi pro me præstitit, vt ardentissimam charitatem divini cordis illius, una cum dignissima laude & honore, quæ

in

in summa humilitate tibi exhibuit, benignè suscipias, in cõpensationem omnium peccatorum & defectuum meorum.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

O dulcissime Pater, obsecro te ex omni affectu cordis mei, parce mihi, quod sanctissimum nomen tuum, non eo, quo par erat religionis cultu, honore, & reuerentia sanctificaverim: imo etiã sæpe contumelia affecerim; Christianũ quoque nomen, quod gratiã tuã gero, moribus indignis tam fædè sæpius deformaverim.

O summe Pater, obsecro te, ut in expiationem omnis culpæ meæ digneris accipere absolutissimam vitæ sanctimoniam chariſſimi Filii tui, in qua ipse benedictum Nomen tuum glorificare, & tot signis, miraculis, sermonibus, & operibus, triginta tribus & amplius annis, quibus vixit in terris, laudare ac sãctificare nunquam intermisit.

2. *Adveniat regnum tuum,*

O Pater misericordiarum, rogo Te, ignosce mihi clementissimè, quod Te cœli terræque Regem & regnum tuum æternum, in quo solo est vera pax, requies & gaudium, nunquam eo quo decuit ardore, & zelo quæsiverim. Rogo dulcissimam clementiam tuam, ut sanctissimos labores gratissimi Filii tui, qui-

quibus me & omnes homines sibi in regno tuo cohæredes fecit, suscipere digneris, pro omnibus negligentiis & defectibus meis, quos ego infelix admisi, dum, quæ sursum sunt, tam negligenter quæsivi & sapui; tam vero ardenter, quæ super terram.

3. *Fiat voluntas tua &c.*

O misericordissime Pater, ignosce mihi quæso pro infinita bonitate tua, quod divinã, & altissimam voluntatẽ tuam, meæ, ut debui, nõ semper prætulerim: toties velle meum, quod semel tibi devoveram, denuo per peccatum usurpaverim: & piissimam voluntatẽ tuam circa me factam minus promptè, reverenter, & libenter amplexus sim.

Obsecro Te, O æterne Pater, ut promptissimam resignationem cordis amantissimi Filii tui, & perfectissimam ejus obedientiã, qua tibi factus est obediens usque ad mortem crucis, suscipere digneris in emendationem omnis meæ inobedientiæ, & prævaricationis mandatorum tuorum.

4. *Panem nostrum, &c.*

O largissime Pater, qui aperis beneficam manum tuam, & imples omne animal benedictione, adeoque & me licet indignum pascis à juventute mea, tot corpori meo, tot animæ bona tã liberaliter providens; Precor ex totis cordis visceribus, Parce mihi,

mihi, quod dona & beneficia tua, tũ ad corpus, tum ad animum nutriendum spectantia, tam ingratus accepi, toties iis ipsis ad tui injuriam, & meam damnationem abusus sũ; dum vel iis nimium cor apponerem, vel iis inordinatè fruerer, vel pro illis debitas tibi gratias nõ persolverem.

Obsecro Te, mi Pater, per amorem Filii tui unigeniti, ut ipsius jejunia, famem, sitim & mirabilem abstinentiam, omnesq; gratiarum actiones, quas ipse cibũ sumpturus offerre solitus est, accipere digneris in compensationẽ omnis meæ incuriæ & ingratitudinis, quã unquam in donis & beneficiis tuis percipiendis admisi.

5. Et dimitte nobis &c.

O Pater immensæ bonitatis, si debita & iniquitates nostras observaveris, quis sustinebit? adeo in multis offendimus omnes. Itaque rogote, per æternũ amorem tuum, ut clementer ignoscas mihi, quidquid unquam, aut uspiam quomodocunque deliqui; aut si fortè peccantibus in me non plane juxta præceptum tuum dimisi vel inimicos meos non ex corde dilexi.

O justissime Deus, rogo Majestatẽ tuam ut in satisfactionem susceipias infinitum pretium Sanguinis, & affectuosissimã orationem dilectissimi Filii tui, qua pendens in Cruce, inimicis suis à te ignoscí

gnosci postulavit.

6. *Et ne nos inducas. &c*

Obenignissime Pater, ignosce mihi; per inæstimabilem charitatem tuam, quod concupiscentiis, & pravis desideriis hactenus, non satis diligenter & serio resistere conatus sim; sed magis Mundo, Carni, ac Dæmoni mala suggerentibus cõsenserim. Vnde merito variis malis factus sum obnoxius. Precor, ô Domine, si divinæ providentiæ tuæ consilio vis, me subinde tentationes sentire; nunquam tamẽ permittas consentire. Digneris quæso O potentissime Deus, gloriosam victoriam Christi filii tui, quâ Mundum, Sathanam, Carnemque subegit, una cum sanctissima cõversatione ejus, omnibusque laboribus; & doloribus illius suscipere, in supplementum omnis negligentiæ & fragilitatis meæ; adeòque me liberes ab omni Malo, & perducas ad omne Bonum; quod utique alibi non est, nec aliud, nisi tu Solvs & Vnvs, O Deus meus & Omnia. Amen.

Cap. II.

LITANIAE Poenitentivm

Ex Sacra Scriptura Collectæ,

Quarum usu excitatur Peccatoris animus ad spẽ indulgentiæ, & studiũ Pœnitentiæ.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie

Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEVS, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nob.
Spiritus S. Deus, miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Miserere nobis.

Deus qui nõ vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, *Ezech. 33.*

Qui Angelis peccantibus non pepercisti, sed in tartarum cruciandos detrusisti, *2 Pet. 2.*

Qui Adam post lapsum ad agnitionem culpæ & resipiscentiam vocasti, *Gen. 3.*

Qui impium Cain de venia desperantem à facie tua projecisti, *Gen. 4.*

Qui Pharaonem fictè pœnitentem & induratum, tandem horribiliter puniviſti, *Exo. 14.*

Qui Ionam ex ventre ceti ad te clamentem salvasti, *Ioan. 2.*

Qui Ninivitis in jejunio, facco, & cilicio pœnitentibus pepercisti, *Ioan. 3.*

Qui Davidem per Nathan ad agnitionem culpæ venire fecisti, *2. Reg. 12.*

Qui

Qui Davidis confitentis, & in cilicio pœnitentis peccatum transtulisti, 2. Reg. 12.

Qui Achab humiliato & pœnitenti pepercisti, 3. Reg. 21.

Qui Ezechiam cum populo in sacco, cinere, & jejunio te invocantem ab exercitu Assyriorum liberasti, 4. Reg. 19.

Qui Manassem pœnitentem exaudisti, & in regnum suum restituisti, 2. Par. 33.

Qui Machabæis jejunantibus, & in sacco & cinere te invocantibus auxilio fuisti, 1 Mach 3.

Qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, 1. Tim. 1

Qui Matthæum in telonio sedentem tua gratia prævenisti, Mat. 9.

Qui Publicanum cum dolore & humilitate pectus percutientem justificationis gratia donatum testatus es, Luc. 18.

Qui Paralyticum, dimissis primum peccatis, à morbo liberasti, Luc. 5.

Qui Filii prodigi ad Patrem, rever-

Miserere nobis.

reverterentis exemplo, peccatoribus spem veniæ & indulgentiæ præbuisti, *Luc. 15.*

Qui Zacchæi pœnitentis; & aliena restituentis domui salutem attulisti, *Luc. 19.*

Qui Chananæam in oratione perseverantem benigne exaudisti, *Matt. 15.*

Qui mulierem in adulterio deprehensam clementer absolvisti, *Ioan. 8.*

Qui publicanos & peccatores recepisti, & cum eis manducasti, *Luc. 5. & 15.*

Qui Mariæ Magdalenæ multum diligenti, peccata multa dimisisti, *Luc. 7.*

Misereri nobis.

Qui Petrum ter negantem benignè respiciens ad agnitionem criminis & lacrymas pœnitentiæ permovisti, *Luc. 22.*

Qui latroni pœnitenti, pendens in cruce, Paradisum promisisti, *Luc. 23.*

Qui Paulum persequentem ac devastantem Ecclesias, mirabiliter vocasti, *Act. 9.*

Deus benigne misericors, patiens, & multæ misericordiæ, *Joel. 2.*

diæ,& præstabilis super malitia, *Ioel.2.* Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.

Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab omni peccato, Libera nos Domine,

A subitanea mala morte. Libera nos Domine.

Per Baptismum & sanctum jejunium tuum, Libera nos Domine.

Per labores & dolores tuos, Libera nos Domine.

Per Sanguinem tuum, quem in remissionem peccatorum nostrorum effudisti, Libera nos Domine.

In die tribulationis, & angustiæ, & tremendi judicii tui, Libera nos Domine.

Peccatores,
Vt ad veram pœnitentiam vos perducere digneris,
Vt dignos pœnitentiæ fructus tempestivè faciamus,
Vt sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ & iniquitati, sic ea nunc exhibeamus servire justitiæ ad sanctificationem,
Vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus,
Vt tanquam vera Christi membra carnem nostram cru-

Te rogamus audi nos.

Matth.3

Rom.13.

Tit.2.

Gal.5.

cifigamus cum vitiis & concupiscentiis.
Vt non secundum carnem vivamus, sed spiritu facta carnis mortificemus, *Rom. 2.*
Vt induti armaturam Dei possimus stare adversus insidias Diaboli, *Ephe. 6*
Vt peccatis mortui, justitiæ vivamus, *1. Pet. 2.*
Vt nos hic urere & purgare & in æternum parcere digneris,
Vt nos exaudire digneris,
Fili Dei,

} Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos induc. as in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum an-

antiquarum. ℟. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Ne memineris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum. ℟. Neque vindictam sumas de peccatis nostris.

℣. Ne tradas Domine bestiis animas confitentium tibi. ℟. Et animas pauperũ tuorum ne obliviscaris in finem.

℣. Domine averte faciem tuam à peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates meas dele.

℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui. ℟. Et spiritu principali confirma me.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus qui nullũ respuis, sed quantumvis peccantibus per pœnitentiam piâ miseratione placaris: respice propitius ad preces humilitatis nostræ, ut tua valeamus implere præcepta.

DEus qui justificas impiũ, & non vis mortem peccatoris: majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut

nos famulos tuos de tua misericordiâ cõfidentes cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulemur, & nullis tentationibus à Te separemur.

DEus qui non mortẽ sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissimè respice, & conatus nostros pietate tua prosequere, ut per immensam misericordiam tuã peccatorum nostrorum veniam, in tuo servitio constantiam, & tandem præmia perseverãtibus promissa feliciter consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

CAP. III.

VARIAE ORATIONES Pœnitentium.

Orationes adversus septem Vitia Capitalia; quæ singulæ singulis Psalmis Pœnitentialibus subjungi possunt.

I. *Adversus* SVPERBIAM.

DOmine Iesu Christe, mitis & humilis corde, qui à te ipso nos Humilitatis documentum sumere, verbo & exemplo jussisti; nam cum in forma Dei esses æqualis æterno Patri, formam servi accipiens, humiliasti temetipsum; factus

ctus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis;

Tolle à nobis omnem superbiam mētisque tumorem; ut nulla in re gloriantes, præterquam in Te, neminemque despicientes, submissè de nobis sentiamus: Teque solum humili corde laudemus. Et si quid boni habere videmur; non à nobis sed à Te descendere, perenni omnium bonorum fonte, agnoscentes, non nobis, sed nomini tuo gloriam perpetuo demus. Amen.

II. *Adversus* AVARITIAM.

Liberalissime deus, qui bonorū nostrorum non eges & bona tua nobis tā abundè largiris; sed & de bonis ad usum vitæ concessis, nos liberales erga proximos inopes esse jubes; ideoque eleēmosynas & charitatis opera nobis assiduè commendas; Inclina cor nostrum in testimonia tua, & non in avaritiam; Da nobis temporalia pro nomine tuo libenter tribuere, & liberaliter communicare.

Cupiditatem verò, quę omnium malorum radix est, à cordibus nostris evelle: Ut aliena non appetentes, propria autem, non ex tristitia, aut necessitate, sed plena manu pioque animo largientes, sicut hilares datores à te diligi, paratumque à consti-

tutione mundi regnum percipere valeamus. Amen.

III. *Adversus* GVLAM.

DOmine Iesu, Abstinentiæ speculum, qui ut salutarem abstinentiã nobis verbo & exẽplo commendares, carnis nostræ mortalitate assumpta, quadraginta diebus & totidem noctibus jejunasti: & non in solo pane, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei hominem vivere docuisti: Da faucibus nostris mellifluum eloquiorum tuorum gustum, quę sunt dulciora super mel & favum: Vt ciborum lautitiem, & omnia Gulæ irritamenta respuentes sobriè & piè vivamus in hoc sæculo: & simplici victu eoque moderato contenti dona tua cum gratiarum actione sumamus; nec Deo ventri, sed tibi Deo viventi, & nos tam benefice pascenti serviamus. Amen.

IV. *Adversus* LVXVRIAM.

DOmine Iesu Christe, castarum mentiũ custos, & pudicitiæ amator, qui ut munditiam tibi maximè placere ostenderes, ex purissimæ Virginis Matris utero carnẽ humanam assumere dignatus es; Respice propitius fragilitatem nostrã. Cor mundum in nobis crea;

crea; & spiritum rectum innova in visceribus nostris. Et da nobis carnis concupiscentiam continentiæ frano cohibere; omnia libidinis incentiva vincere, & carnem ipsam timore tuo configere: ut hoc domestico hoste devicto, tibi casto corpore servia. mus, & mundo corde placeamus. Amen.

V. *Adversus.* INVIDIAM.

JEsu amantissime charitatis exemplar, qui amore Dei & proximi, universa legis præcepta concludis: Da nobis te Deum, & Redemptorem, ex toto corde, ex tota anima, menteque tota diligere; quando tu tantopere nos dilexisti, ut animamtuam pro nobis dederis.

Deinde ut proximos nostros ex intimis amemus visceribus, effice: illúque solum odio habeamus, cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum: ut de proximorum prosperitate gaudentes, eorumque adversitati condolẽtes, de nullius infelicitate lætemur. Sed omnibus Invidiæ stimulis repulsis, ad te, qui vera charitas es, perveniamus. Amen.

VI. *Adversus* IRAM.

MItissime Iesu, qui ut agnus mansuetus, qui portatur ad victimã, & sicut

ſicut ovis ad occiſionem ductus, non aperuiſti os tuum, ſed tractus, illuſus, conſputus, percuſſus, & deniqueCruci affixus, non modò malum pro malo nõ reddidiſti; ſed inſuper pro tranſgreſſoribus Deum Patrem oraſti: Inſere quæſo cordibus noſtris mã. ſuetudinis & patientiæ virtutem; ut Iræ furorem comprimentes, manſueto corde malum in bono vincamus, & inimicos noſtros diligamus: quo beneficentiã noſtrã, tanquam ardentibus prunis incenſi ad mutuum inflammẽtur amorem, atque ita unanimes uno ore, ac fraterna charitate honorificemus te Patrem noſtrum in terris, & tandem aſſequamur in cœlis. Amen.

VII. *Adverſus* ACEDIAM.

DOmine Ieſu, qui nullum fugiens laborem, noſtri cauſâ fatigatus ex itinere, ſæpius eſuriſti, ſitiſti, variaque pertuliſti incommoda: ſed & in oratione frequens pernoctaſti: Expelle à corde & corpore noſtro omnem deſidiam & torporem; ut ad tibi ſervien-dum in vigiliis, jejuniis, & rationibus prompti ſimus & alacres; ac nos totos ad tuam gloriam, & proximorum ſalutẽ exponamus: ut non dormitet anima noſtra præ tædio, ſed viam mandatorum tuo-

tuorũ alacriter curramus, ubi dilataveris cor nostrum, per amorem tui & proximi. Ne fortè tepiditas nostra aliquan. dò nauseam tibi moveat, & incipias nos evomere ex ore tuo.

Accende igitur in nobis, ignem tuæ charitatis, nostramque imbecillitatem perfice, ut in te, & à te corroborati, per bona opera vocationem nostram certam facere satagamus; & quodcunque potest manus nostra, instâter operetur; ut tibi soli placeamus; & tu sis tandem merces nostra magna nimis. Amen.

Tres breves & nervosæ Orationes pro remissione peccatorum & emendatione vitæ. Ex precibus Germ. P. Canisii.

ORATIO I.

O Dulcissime Domine Iesu Christe, ego indignus peccator admoneo Te omnium sanctarum cogitationum, quas unquã ab æterno hucusque habuisti, & illius maximè, qua tu, O Verbum Æternum Homo FIERI cogitasti. Admoneo Te quoq; omnium piarum cogitationum, quas unquam pro tui nominis honore sãcti in cœlis, piique homines in terris habuerunt, aut deinceps habebunt.

O clementissime Domine, precor ex intimo corde, ut tu vicissim ignoscas mihi omnes vanas,

turpes, & malas cogitationes, quas hucusque contra aut præter tuam voluntatem habui, aut ut alii haberent, quomodocunque caussa fui. *Pater noster. Ave Maria.*

ORATIO II.

O Piissime Domine Iesu Christe, ego miser peccator admoneo te omnium bonorum & salutarium verborum, quæ unquam locutus es super terram, vel quæ ab aliis in nomine tuo unquam prolata sunt, aut deinceps proferenda.

Rogo te humiliter O bone Iesu, dimitte mihi omnia verba quæ hucusque contra divinam voluntatem tuam locutus sum, aut ut alii loquerentur auctor fui. *Pat. nost. Ave M.*

ORATIO III.

O Suavissime Iesu Christe, ego peccator indignus, sed pretioso sanguine tuo redemptus admoneo te omnium bonorum operum, quæ salutis nostræ caussa operatus es in medio terræ, vel quæ unquam ab aliis in nomine tuo facta sunt, aut posthac facienda.

Obsecro te piissime Domine, ignosce mihi, quidquid unquam male agendo contra legem tuam, & nominis tui gloriam ignoranter, vel

Vel scienter commisi, vel ut ab aliis cõmitterer caussa fui

Porrò O benignissime Domine, omnes cogitationes meas, omnia verba, omnia opera, dirige & ordina secundum tuum divinum beneplacitum, ad laudem nominis tui; eaque juxta perfectissimum exemplar sanctissimæ conversationis & vitæ tuæ cõforma. Tuus sum, & ero, O Domine, vivens & moriens, in manus tuas, me & omnia mea commendo. *Pater noster. Ave Maria.*

ORATIO

Pœnitentis, ex Eodem.

O Iesu Christe, Salvator mũdi qui omnes peccatores clementer invitas, & quidquid ad te venerit, non ejicis foras, sed benignè susscipis, foves ac reficis, admoneo te illius immensæ charitatis, qua te pro nobis sponte in cruce obtulisti, & largissima pretiosi Sanguinis tui effusione tam abundanter exsolvisti pretium salutis nostrę, & expiasti peccata mundi.

Per sacratissimam & efficacissimã pœnitentiam tuæ sanctissimæ vitæ, & mortis innoxiæ, rogo te supplex, ut ignoscas mihi omnia peccata mea, quemadmodũ promptè Latroni in cruce pendens ignovisti, eiq; Paradisũ promisisti.

Projicio nunc omnia peccata mea in profunda & dolorosa

vulnera tua, Quidquid mihi deest de sufficientia contritionis & pœnitentiæ, hoc tu clementer supplere digneris ex divitiis satisfactionũ & meritorũ, & omniũ dolorũ, pœnarum ac laborum, quos in tuo sanctissimo corpore libens assumpsisti, & usque ad acerbissimã mortem pro nobis sustinere voluisti.

Concede mihi O summè clemens Salvator, ut te peccatis meis nunquam amplius crucifigam, sed virtute & merito crucis tuæ de præteritis peccatis meis sincerè doleam, præsentes tentationes fortiter superem, deinceps viam crucis & pœnitentiæ teneam, & in bonis operibus in finẽ usque perseverem; Tibi enim vivere, & in te mori cupio.

ORATIO

Elegantissima S. Bernardi *pro remissione peccatorum.*

IN unione doloris tui, quo caussam doloris mei assumpsisti, & emendationem pro peccatis meis suscepisti, Domine Iesu Christe; cum universitate dolentium, & verè pœnitentium, & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa, & bona omissa, vel non purè, aut negligenter facta, sicut tu ea nosti in numero, põdere, & mensura & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem

tuam

tuam minui & à te summo bono cecidi, & proximum simul in casum traxi.

Suscipe ergò Domine de me misera vita residium annorum meorum. Pro his verò quos viven. do perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dies mei declinaverunt & perierunt sine fructu: impossibile est enim ut revocem eos, sed placeat tibi, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ.

Domine abyssus profundissimæ miseriæ meę abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, & fontem inexhaustæ misericordiæ tuæ circa me exiccari non permittas propter peccata mea; qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.

Tuum est Domine remittere peccata, miserere mei, quia jam tempus est gratiæ & miserationis, Et dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Fac me quæso Domine assueta mala relinquere, & tibi placita opera agere; & studium quod hucusque in peccatis exercui te adjuvante deinceps in tua voluntate exerceam ut ubi abundavit delictũ, tua gratia reabundet. Amen.

CAP. IV.

Orationes antè & post Confessionem Sacramentalem.

I.

Oratio præparatoria ante Confessionem Sacramentalem.

CONditor cœli & terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium; qui me de nihilo fecisti ad imaginem & similitudinem tuam, & me proprio tuo Sanguine redemisti; quem ego peccator non sum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare.

Te suppliciter deprecor, & humiliter exoro, ut clementer respicias me servum tuum nequam. Et miserere mei, qui misertus fuisti mulieris Chananeæ, & Mariæ Magdalenæ: qui pepercisti Publicano, & Latroni in cruce pendenti.

Tibi confiteor, Pater piissime, peccata mea; quæ si volo abscondere, non possum, tibi Domine: parce mihi Christe, quem ego nuper multum offendi cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.

Ideò Domine, precor tuam clementiam, qui de cœlo pro mea

mea salute descendisti : qui David à peccati lapsu erexisti, parce mihi Domine ; parce mihi Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus, & Redemptor meus; Dominus meus, & Salvator meus; Rex meus, & Deus meus.

Tu es spes mea, fiducia mea; gubernatio mea, & auxiliatio mea; consolatio mea, & fortitudo mea; defensio mea, & liberatio mea; vita mea, salus mea, & resurrectio mea; lumẽ meum, & desideriũ meum; adjutorium meum, & patrocinium meum.

Te deprecor & rogo, adjuva me, & salvus ero; guberna me, & defende me; conforta me, & consolare me; confirma me, & lætifica me; illumina me, & visita me. Suscita me mortuum, quia factura & opus tuum sum.

Domine, ne despicias me, quia famulus & servus tuus sum, quamvis malus quamvis indignus & peccator: sed qualiscumque sim, sive bonus, sive malus, semper tuus sum. Ad quem ergo fugiam, nisi ad te vadam? Si tu me ejicis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet?

Recognosce me ergo indignum ad te refugientem, quamvis sim vilis & immundus: quia si vilis & immundus sum, potes me mũdare: si cæcus sum, potes me illuminare: si infirmus

mus sum, potest me sanare: si mortuus & sepultus sum, potes me resuscitare: quia major est misericordia tua, quam iniquitas mea: major est pietas tua, quam impietas mea: plus potes dimittere, quam ego committere; & plus parcere, quam ego peccator peccare.

Non ergo despicias, Domine, neq; attendas multitudinem iniquitatum mearum: sed secundum multitudinem miserationum tuarum miserere mei, & propitius esto mihi maximo peccatori.

Dic animæ meæ: Salus tua ego sum; qui dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Converte me Domine ad te, & noli irasci contra me.

Da precor te clementissime Pater, propter misericordiam tuam supplico & exoro, ut perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, purã confessionem, & dignam satisfactionẽ omnium peccatorũ meorum, Amen.

Oratio ante confessionem sacramentalem.

DOmine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæso splendore gratiæ tuæ cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus & peccata mea, eaque cum vero cordis dolore & contritione

ne confitear, sicut oportet coram te, & sacerdote ministro tuo, ac plenè pro iisdem satisfaciam, eaque emendẽ, ad laudem & gloriam tuam, & benedictæ Matris tuæ, ac Sanctorum omnium, ac salutem animæ meæ, Amen.

ACTVS CONTRITIONIS

Ad remissionem peccatorum obtinendam efficax;

Porrò circa eum observanda sequentia,

1. *Actus fidei*, 2. *Dolor de peccatis*. 3. *Amor Dei super omnia*. 4. *Propositum de futuro*, 5. *Oblatio sui per Christum*. 6. *Spes veniæ per Christum*. 7. *Petitio gratiæ & auxilii Dei*.

1. DOmine Iesu Christe, verus Deus & homo, Creator ac Redemptor meus.

2. Pœnitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum & Deum meũ.

3. Quem amo super omnia.

4. Et propono firmiter amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta.

5. Et in satisfactionem peccatorũ meorum offero tibi sacratissimam vitam, Passionem, ac mortem tuam, totumq; pretium sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque B. Mariæ semper Virginis, & omnium San-

Sanctorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam.

6. Et confido in bonitate & misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi Sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea.

7. Et gratiam uberem largiturus, qua vitam sanctè instituere, tibique perfectè usque in finem servire valeam. Qui cum Patre, Sancto que Spiritu vivis ac regnas Deus in secula benedictus. Amen

Oratio post Confessionem.

GRatias tibi ago pientissime Iesu, quod me indignum peccatorem ad pœnitentiam patienter exspectaveris, veniam & indulgentiam peccatorũ mihi clementer concesseris. Suscipe obsecro hanc humilem confessionem meam quam feci, & quicquid mihi nunc defuit ad plenam & synceram enumerationem peccatorum meorum, & convenientem pro iisdem dolorem, tu ex fonte misericordiæ tuæ, ac thesauro passionis tuæ benignè supplere digneris, meque perfectè absolutum habere in cœlis: & præsta auxilium gratiæ tuę, ut deinceps peccata devitem, ac fidelius tibi serviam, intercedente gloriosâ Virgine genitrice tua Maria, & omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio

initio mundi: iuravi enim & statui deinceps custodire judicia justitiæ tuæ, te adjuvante, qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio post Confessionem.

SIt tibi Domine, obsecro, meritis beatæ semper Virginis Genetricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit; nunc & alias de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, supplet pietas & misericordia tua: secundum illam digneris me habere plenius & perfectius absolutum in cœlo. Qui vivis & regnas.

FORMVLA

Excitandi affectus pios Gratitudinis Contritionis, &c. tum ante, tum post Confessionem.

Ex P. Christ Mayer in Indust.

O Iesu Deus cordis mei, infinitè misericors, & longanimis, infinitè suavis, & amabilis, quomodo cum Patre & S. Spiritu multiplicas super me inter

cæ-

cæteros Electos tuos inæstimabiles divitias misericordiæ, longanimitatis, bonitatis, & caritatis tuę, hucusque toties me tam ingratum cum Petro respiciendo; toties me indignum cũ Magdalena longè à te aberrantem in viam salutis revocando; toties tam immundum in sanguine tuo dealbando; toties tam prodigum filium, in osculum pacis recipiendo; toties tam infidelem sponsam in intimam familiaritatem invitando.

Verè miserator & misericors es Domine, patiens, & multum misericors; Verè suavis es universis, & miserationes tuæ super omnia opera tua. Confitentur tibi omnia opera tua; maximè opera misericordiæ & pietatis, & Sancti tui miserationes tuas experti, benedicant tibi, misericordias tuas æternum cantantes.

Agnosco, veneror amplectorque viscera misericordiæ tuæ tantæ erga me, Electosque omnes, cõprehensores, & viatores, atque illorum omniumque possibilium creaturarum possibili affectu gratias ago, agamque æternum pro ineffabili illo æternæ dilectionis excessu, quo me inter illos à tot peccatis, in quæ incidissem, clementer præservasti; in tot quotidie toties labentem tam longanimiter toleraſti; tam misericorditer

ad

ad pœnitentiam lapsum exstimulasti; tam benignè pœnitentem in gratiam recepisti: insuper mihi tam liberaliter efficacem voluntatem resipiscendi, copiosam gratiam sanctius deinceps vivendi, & firmam spē perseverandi, gloriamque consequendi communicare hucusque dignatus es.

Pro his aliisque innumeris bonitatis tuæ beneficiis, utinam tota vita laudassem te, & gratias egissem! Vtinam te infinito honore & amore dignissimum semper amassem & glorificassem! Vtinam nunquam offendissem, nec offenderem posthac in æternum!

Sed eheu, quam parum agnovi, amavi, glorificavi te. O Bonitas infinita; quid verribui tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi, præter innumeras offensiones, ingratitudines, negligentias? Doleo de his & de omnibus, & singulis totius vitæ peccatis, ex animo, non propter supplicii metum; aut gloriæ detrimentum: sed purè propter te Deum meum infinite amabilem, quia tibi quem diligo diligamque æternum, super omnia, displicent.

Ardenter desidero, firmiterque propono, emendare omnia peccata mea, maxime hæc N. cum gratia tua per hæc media, & novo fervore me totū tuo impendere servitio, &c

Per

Per eandem benignitatem & charitatem tuam infinitam: qua cum Patre & Spiritu Sancto, O Bone Iesu, me, ingratum peccatorem, & pœnitentes omnes toties oculis misericordiæ tuæ tam benigne respexisti, longanimiter tolerasti, in sanguine tuo dealbasti & nunc respicere, tolerare, & dealbare non desinis, memento & miserere totius Ecclesiæ tuæ sanctæ ejusque capitum & membrorum, &c.

O Regina Sanctorum omnium, Mater Dei & virgo, S. Angele custos Sancti Parroni mei N. omnesque Electi benedicite, laudate, & superexaltate Dominum mecum, & pro me, pro hoc aliisque beneficiis mihi, & vobis, omnibusque collatis, & conferendis in æternum: gratiamque impetrate, illum nunc perfectè glorificandi in via, olim beatè vobiscū in patria; æternum illi cum Cherubim & Seraphim accinentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Benedictio & claritas, &c.

Plura Exercitia huc spectantia require infra Sect. 4. c. 3.

SECTIO

SECTIO IV.

Hæc Sectio varia Exercitia ad studium Virtutum & Christianæ perfectionis utilia complectitur.

Cap. I.

EXERCITIA

Varia in Orationem Dominicam.

GRADVS AD PERFECTIONEM, juxta seriem Orationis Dominicæ.

I. Dei Amor, Præsentia, & Reverentia.

Pater noster qui es in cœlis,

IN Cœlis habitas, veluti in throno gloriæ tuæ. Sed alta à longè cognoscis, & nostra intime consideras. Nam oculi tui lucidiores sole. Vnde è solio majestatis tuæ contemplaris in omni loco bonos & malos: dilectos vero filios tuos peculiari favore ac benevolentia respicis. Da mihi obsecro, quod jubes, ut amem te, & ambulem coram te; timeam quoque te, non ut reus Iudicem, sed in filius Patrem; & studeam esse perfectus, sicut tu Pater meus cœlestis perfectus es.

II. Intentio Pura, seu Zelus Divinæ Gloriæ.

Sanctificetur nomen tuum.

IDunicè, & ante omnia desidero, O bone IESU, ut in Nomine tuo flectatur omne genu; ut à me & ab omnibus recta & pura intentione omnia fiant ad majorem gloriam Nominis tui: ut ab omnibus cognoscaris & colaris, O sanctissime Redemptor mũdi: Vtinam sic quoque luceat lux nostra coram hominibus, ut videntes conversationem nostrã bonam, glorificent te Patrem nostrum in cœlis.

III. Amor & desiderium Rerum cœlestium.

Adveniat regnum tuum.

SVmus enim advenæ & peregrini supẽr terram; Ad hoc vero nati, & quod majus est, sic formati ad imaginẽ tuam; imo redempti per sanguinem tuũ, ut simus consortes regni tui, (non enim habemus hic manẽtem civitatem, sed futurã inquirimus) ut quæ sursum sunt quærentes & sapientes, non quæ super terram, conversationem nostram habeamus in cœlis. O si primum quæreremus Regnum Dei, & justitiam ejus; de cæteris enim tu nos, Domine: facis securos,

ros. Quid ergo erit in mundo (qui totus in maligno positus est,) quod mihi sic arrideat, ut immemor fiam Regni tui, ubi in bonis replebitur desiderium nostrum? Quid erit, quod me separet à te? Valeant omnia regna Mundi, & omnis gloria eorum. Melior est mihi dies una in Regno tuo, super millia: imo cætera regna vana, brevia, caduca sunt: Solius Regni tui non erit finis.

IV. Resignatio & Conformitas cum voluntate divina.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terrâ.

Fiat omni modo per me, in me, & de me, quo ad corpus, & animam & omnia mea. Omnes Angeli, omnia Elementa, mare & venti, & omnes creaturæ obediunt voci tuæ: quanto magis ego vermis terræ, servus tuus faciam voluntatem tuam? Voluntas utinam sit summa & sola mea voluptas: sed & vera mea felicitas, velle quod vult Deus. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, O Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?

V. Moderatio circa usum Creaturarum.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Nō petimus quod voluptati serviat, sed quod necessitati sufficiat. O Domine,

oculi omnium sperant in te, & tu das illis escam in tempore opportuno, Tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Ecce projicio & ego in te omnem curam meam, quoniam tibi est cura de nobis. Tribue tantum victui meo necessaria; & fac, ut habens victum, & quibus tegar, his contentus sim; gratus in omnibus erga te datorem omnium. Absit à me, ut abundantiam donorum tuorum luxus, saturitas & otium comitetur. Heu quam multi à fructu frumenti, vini & olei multiplicati, impinguati & incrassati derelinquunt te Deum factorem suum: Mihi sat magnus quæstus erit, pietas cum sufficientia.

VI. Dilectio Proximi etiam Inimici.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

O quam suavis est, Domine, spiritus tuus! Sic ne nos doces orare? quasi modus gratiæ & indulgentiæ tuæ pendeat ex moribus nostris, & affectu nostro in proximum. O nova & mira orandi forma! & simul pietatis tuæ tessera! Ecce quales sumus in proximos, talis tu eris in nos. Ergone difficilis ero ad condonandum proximo, ut te quoque talem experiar? Quin potius ero tardus ad iram;

iram; & Sol non occidet super iracundiam meam. Absit à me, ut sim implacabilis, vindictæ cupidus, & memor injuriæ adversus proximum meum, ne & tu memineris iniquitatum mearum antiquarum, & in ira tua corripias me. Quid ni denarium unum libēs dimittam proximo, ut tu innumera talenta dimittas mihi?

VII. Fortitudo in tentationibus.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid enim est vita hominis super terram, nisi tentatio Sed ne sinas me tentari supra id quod possum. Nihil autem possum sine te; at omnia in te, si confortet me gratia tua. Da ut tentationes *Carnis* mortificatione, & occasionum fugâ præveniam. *Leoni* illi rugiēti, qui circuit quærens quē devoret, resistam fortis in Fide. *Mundi* judicia contemnam: momentanea æternis minimè preferam. Fac ut omnis tentatio mihi sit ad disciplinam; nulla ad ruinam.

VIII. Confessio Divinæ Providentiæ.

Sed libera nos à malo.

Nam ecce, dum sic ad apicem virtutis enitimur, multa nos hic undique perturbant mala: sed in quibus omnibus dominatur divina tua Providentia. Testa-

tur id Propheta tuus dicens. *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit*; malum nempe pœnæ, quale scilicet est, bellum, fames, morbus, egestas, &c. Hæc ne in malum culpæ vergant, id obnixè rogamus: hoc enim foret maximum omnium malorum: Cæteroquin mala nō erunt, si nō separent nos à te sūmo bono. Id tuæ potentiæ, bonitatis, & sapientiæ est, O Domine, sic mala ista dirigere, ut diligentibus Te omnia cooperentur in bonum. Tā enim potens es, ut nullum permitteres malum, si non posses inde elicere majus bonum.

ORATIO DOMINICA,

Ad tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales accommodata,

Seu, quomodo septem illæ virtutes sub totidem petitionibus Orationis Dominicæ petendæ & exercendæ.

Pater noster, qui es in cælis.

O Pater æterne, qui filiis tuis hæreditatem in cœlis, & bona invisibilia præparasti, sed filios non degeneres, & mores in eis tali Patre, id est, tali ipso dignos requiris: da ut perfecti esse studeamus, sicut tu Pater noster perfectus es. Non enim sumus sufficientes ex nobis! sed omnia sufficientia nostra ex

x te est. Itaque in nomine, imò & verbis Dilectissimi Filii tui virtutes & dona petimus, sine quibus tibi placere, & regnum tuum obtinere non possumus.

I. FIDES.

Sanctificetur nomen tuum.

Vbi vera & viva fide Deus colitur, ibi Nomen ejus optimè sanctificatur. Credo Domine, quia omnipotens es, summè sapiens, & super omnia bonus: verax quoque & fidelis in promissis, imo ipsa veritas.

Mirabilia quidem opera & judicia tua Domine; sed vera & justificata in semetipsa. Testimonia tua credibilia mihi facta sunt nimis, ideoque domum tuam (Ecclesiam) decet sanctitudo. Nā quid indignius, quàm talia credere; & talibus moribus vivere, ut quod ore confitemur, id est, nosse te, factis videamur negare? Absit hoc à me sed viva potius fides vigeat in me; ut moribus fidei, congruentibus sanctificem nomen tuum gloriosum in sæcula. Domine, adauge Fidem meam.

II. SPES.

Adveniat regnum tuum.

Quod paratum nobis est ab origine mundi. Ex infinito enim amore fecisti

nos hæredes regni tui, cohæredes autem Christi, Spero iraque videre bona Domini in terra viventium. Quid enim O Bonitas immensa? Tot modis vocas me, & repellere me poteris? sic invitas & trahis me, & deficere fines in via? In te Domine speravi, non confundar in æternum.

III. CHARITAS.

Fiat voluntas tua.

Amore tui, O dulcissime Pater, inflãma cor meum, sic utique facere voluntatem tuam, & parere mandatis tuis grave non erit. Amãti enim nihil difficile, nedum impossibile, quia fortis est ut mors, dilectio. Hæc utinam repleat & regat cor meum. Hinc enim nascetur & nutrietur inter te & me morum similitudo, & voluntatum unio, ut sit mihi unum velle tecum, & idem nolle, nec sit ulla deinceps voluntatis meæ erga tuam rebellio: Sed in lege tua sit omnis voluntas mea.

IV. TEMPERANTIA.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Vt corpus cibo, sic animus Temperantiã pascitur: imo sobrius & moderatus victus & corpori & animæ utilis est. Itaque da mihi, ut usum rerum delectabili.

bilium & ad vitam hanc pertinentium rectæ rationis freno gubernem: ne fortè crapulâ & cura ventris gravetur cor meum: & sic corpus quod corrumpitur, voluptatibusimmer. sum deprimat animum cœlestia cogitantem.

V. IVSTITIA.

Et dimitte nobis debita nostra.

Iustitiæ est redde. re unicuique quod suum est. Quid autē proximo debemus, nisi, ut invicem diligamus? ut alter alterius onera portemus; & sic adimplea. mus legem tuam? denique ut proximo faciamus, quod nobis fieri vellemus? Iustum quoque est, ut qui decem milliū talentorum, id est, longè gravioris debiti condonationem à te petimus; centum denariorum, id est, debiti minimi remissionem proximo non negemus. Hujus ergo iustitiæ zelum & amorem da mihi Domine, ne ea neglecta incidam in manus iustitiæ tuæ.

VI. FORTITVDO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Multis tentationibus obnoxia est vita hominis, imò tota ipsa tentatio est. Itaq; virtute Fortitudinis corrobora cor meum, ut nec seducar prosperis, nec adversis superer, & separer à te. Vides

enim quæ sit fortitudo mea, ut resistere possim. Quin Fortitudo & salus mea tu es Domine. Miserere ergo mei, quoniam infirmus sum. Sed & fortes quæsierunt animam meam. O utinam fortior illis, tu, inquam, fortis & potens in prælio supervenias; sic utique non timebit cor meum, quoniam tu mecum es!

VII. PRVDENTIA.

Sed libera nos à malo. Amen.

Facilè effugiet omne malum, quem Prudentia rexerit, quæ est recta ratio agibilium. Da ergo, mihi Domine virtutem hanc, ut quidquid ago, prudenter agam, & finem in omnibus respiciam. Nam ubi Prudentia præest, mala etiam cooperantur in bonum: at ubi deest, ipsæ quoque virtutes in vitium abeunt. Fac ergo ne instar cæci temere è curretis, impingam, & corruam in malum, sed palpebræ præcedant gressus meos.

MODVS RECITANDI ORATIONEM Dominicam ad excitandos pios affectus, meditatione interposita.

Pater noster.

DOmine cœli & terræ, infinitæ sancto majestatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, ac proinde infinitè honorabilis,

bilis, & amabilis, fons omnis boni, à quo certa cum fiducia speranda omnia bona naturæ, gratiæ gloriæ.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Sanctificeris, ameris, glorificeris à me, & omnibus, in omnibus perfectionibus tuis, potentia, sapientia, bonitate, misericordia, justitia, in omnibus judiciis & decretis tuis, circa me, omnes, & omnia; in omnibus operibus naturæ, gratiæ, gloriæ; in omnibus permissionibus, in omnibus beneficiis tuis, omni possibili modo; gratis propter te, infinitè super omnia, nunc, semper, æternum, & ultrà. Vtinam sic semper à me & ab omnibus glorificatus fuisses, & deinceps semper sic glorificeris & sanctificeris!

2. *Adveniat regnum tuum.*

Vtinam in me, & omnibus perfectè regnes, nunc per gratiam, tandem per gloriam. Vtinam anima mea ante omnia quærat regnum Dei; quæ sursum sunt, sapiat, & desideret; non quæ super terram. Vtinam pertæsa præsentis exilii, ubi peccatum regnat, ubi ambitio, superbia &c. dominatur; ad illam beatam vitam, & regni æterni possessionem indesinenter aspiret. Vtinam id semper factum fuisset, & ex momento hoc fieret perfectè, ut tecum, & cum omnibus SS. tandem regnemus

in omnem æternitatem!

3. *Fiat voluntas tua &c.*

Fiat à me, & ab omnibus viatoribus tua sanctissima voluntas in perfecta præceptorum, & consiliorum, omnisque beneplaciti tui executione, purè propter te, tam exactè, alacriter & cõstãter, omnibus diebus & momentis vitæ nostræ in terra, sicut fit à Beatis seu Comprehensoribus æternum in cœlo; cum insatiabili desiderio tibi gratificandi pro beneplacito tuo. Vtinã id semper à nobis omnibus; intellectu, affectu, effectu factum fuisset, & deinceps fiat, sicut vis, cum omni possibili perfectione!

4. *Panem nostrum quotidianum. &c.*

Omnia subsidia corpori & animę necessaria ad gratiam, perseverantiam, & gloriam consequendam, nobis misericorditer largiri dignare, sicut tibi placet; ad maximam tuam gloriam, hodie & omnibus diebus vitæ nostræ, per tuam infinitam bonitatem

5. *Et dimitte nobis, &c.*

Condona nobis ex immenso thesauro misericordiæ tuæ omnia peccata nostra, corde, ore, opere, omissione perpetrata; omnem ingratitudinem nostram, pro tot beneficiis tuis; omnes injurias tibi, proximisque nostris, illatas: sicut & nos, ex toto corde plenissimè remittimus omni-

omnibus omnes offensas, (ut reconciliati fratribus, facilius inveniamus vicissim & nos gratiam in oculis tuis) idque ex puro amore tui infinitè amabilis, indefesso, assiduoque conatu usque ad extremum vitæ spiritum.

6. *Et ne nos inducas. &c.*

Ne permittas nos ullis unquam mundi, carnis, diaboli tentationibus succumbere, sed gloriosè de omnib⁹ in virtute tua triumphare nunc semper, in hora mortis, ad majorem tuæ infinitę potentiæ, sapientiæ & bonitatis gloriam luculentius manifestandam.

7. *Sed libera nos. &c.*

Præserva & libera nos clementer ab omnibus malis corporis, & animæ, præsentibus & futuris; quatenus nos à perfectione, perseverātia, & salute consequenda, gloriaque tua promovenda impedire, aut retardare possunt, ut sine impedimento, perfectius te amare, & glorificare possimus in tēpore, beatius olim in æternitate, idque non tam ob nostrum emolumentum, quam ob gloriæ tuæ incrementum.

Amen.

Fiat, quod peto, sicut vis, quando vis, quomodo vis, per viscera misericordiæ tuæ, per merita filii tui, B.V. Matris ejus, & omnium Sanctorum. Atque utinam hæc omnia pia desideria renovarentur

tur à me & omnibus si fieri posset, gratuito amore tui, intensissime, sicut est placitum ante te, omnibus momentis temporis gratiæ!

LITANIÆ CHRISTIANARVM VIRTVTVM,

Ex Sacra Scriptura collectæ.

KYRIE ELEISON. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miser. nob.
Spiritus S. Deus, miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Miserere nobis.

Qui primos Parentes in originali justitia & innocentia creasti, *Gen. 2.*
Qui Abel singulari religionis affectu Munera sua offerentem respexisti, *Gen. 4.*
Qui Noë inter perversos, justum inventum, à diluvio per arcam servasti, *Gen. 7.*
Qui Loth & Abraham singulari hospitalitatis laude illustres fecisti, *Gen. 18. & 19.*
Qui Abraham mirabili obedientia, & fide decorasti, *Gen. 22*
Qui Iacob mira in adversis pa-

tien-

tientia & fiducia roborasti, *Gen.29. &c.*

Qui Ioseph singulari pudicitiæ,& castitatis amore donasti, *Gen.39.*

Qui Moysen populi tui Ducem, & virum mitissimum, in omni domo tua fidelissimum prædicasti, *1.Num2*

Qui Eidem eximiam erga proximos charitatem, & fraternæ salutis zelum inspirasti, *Exod.32*

Qui filiis Levi magnum vindicandi honoris tui zelum indidisti, *Exod.32*

Qui Samuelem Prophetam justitiæ amantem,&ab omni munerum corruptela alienum populo tuo judicem dedisti, *1.Reg.7 & 12.*

Qui David regem, virum secundum cor tuum,justitiæ, mansuetudinis, ac pietatis laude sublimasti, *1.Reg. 13.*

Qui Salomonem sapientia mirabili,pace, & gloria super omnes terræ Reges exornasti, *3.Reg.4*

Qui Tobiam insigni patientia,& erga proximos mise- *Tob.2.*

Miserere nobis.

ricordia decorasti,

Qui Iudith singularis castimoniæ & pietatis viduam, orationis fiducia, & magnanimitatis gloria nobilitasti, — *Iudit.* 8.

Qui Esther & Mardochæi fidelitate populum tuum ab excidio liberasti, — *Esth.* 8.

Qui Iob mira & rara patientia nobis omnibus in speculum & exemplar patientiæ dedisti, — *Iob.* 1. *&c.*

Qui Eliam prophetam singulari zelo, & libertate spiritus, adversus Pseudoprophetas & impios armasti, — 3 *Reg.* 18

Qui Iosiæ Regi pium legis & religionis zelum infudisti, — 2. *Par.* 34.

Qui Danielem prophetam singulari abstinentia, sobrietate & sapientiâ decorasti, — *Dan.* 1.

Qui tres Pueros ob confessionem tui in fornacem ignis ardentis, intrepidos intrare, & illæsos exire fecisti, — *Dan.* 3.

Qui Matathiam, & Iudam,

Miserere nobis.

Ma-

Machabæum, singulari zelo & amore legis, ac patriæ religionis in hostes armasti, — 1. Mac. 2 & 3.

Qui septem Machabæos una cum Matre invictos inter supplicia fecisti, — 2. Mac. 7.

Qui sacratissimam Virginem Mariam ab omni peccato immunem in purissimam Sponsam & Matrem elegisti, — Luc. 1.

Qui eandem singulari Castitatis, Humilitatis; Obedientiæ, & Virtutum omnium privilegio præ cæteris electis omnibus exornasti, — ibid.

Miserere nobis.

Qui Annam filiam Phanuelis, assiduè tibi in jejuniis & orationibus in templo servientem, tui conspectu recreasti, — Luc. 2.

Qui tres Magos Reges magno zelo ad requirendum & adorandum cæli terræque Regem recens natum excitasti, — Luc. 2.

Qui eosdem Magos illustri Fide, ad agnoscendum in parvulo Infante Deum — Mat. 2.

& Ho-

& Hominem, stella duce illuminasti,

Qui Ioannem Baptistam mira vitæ austeritate & abstinẽtia Præcursorem, & pœnitentiæ Præconem misisti, *Matt.3*

Qui eundem zelo & amore veritatis ad arguendum impii Regis crimen intrepidum fecisti, *Mat.6.*

Qui discipulos & Apostolos, rudes, pauperes, & simplices elegisti, sed per eos, totum mundum Evangelio subjecisti, *Mat.4.*

Qui Ioannem càstitatis dono insignem, singulari amoris privilegio dignatus es, *Ioan.13*

Qui Cananææ supplicantis fidem & orandi perseverantiam commendasti, *Mat.15*

Qui Centurionis & Reguli fidem miraculo & sanitatis beneficio approbasti, *Mat.8. & Io.4.*

Qui Publicani humilitatem singulari præconio extulisti, *Luc.18.*

Qui in turbis triduo te sustinentibus verbi divini audiendi zelum miraculo comprobasti, *Mar.8.*

Miserere nobis.

Qui

Te rogamus audi nos.

Qui in die Pentecostes Apostolorum tuorum corda igne S. Spiritus in tui amore confirmasti, *Act. 2.*

Propitius esto. Parce nobis Domine.

Propitius esto. Libera nos Domine.

Vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo. *Tit. 2.*

Vt operemur bonum, dum tempus habemus, *Gal. 6.*

Vt dignè ambulemus vocatione qua vocati sumus, *Eph. 4.*

Vt supportemus inuicem in charitate, soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, *ibid.*

Vt simus factores verbi, & non auditores tantum, *Iac. 1.*

Vt habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, *1 Tim. 6.*

Vt per bona opera certam vocationem nostram facere satagamus, *2. Pet. 1.*

Vt bonum facientes non deficiamus, *Gal. 6.*

Vt errantes in spiritu lenitatis & mansuetudinis instruamus, *Gal. 6.*

Vt gratiam Dei in vacuum

non

Te rogamus audi nos.

non recipiamus, 2Cor.6.
Vt Sanctorum intuentes conversationem, eorum fidē & patientiam imitemur, Heb.13.
Vt militantes Deo non implicemus nos negotiis secularibus, 2.Tim.2
Vt in omnibus sumamus scutum fidei, in quo tela nequissimi ignea extinguere possimus, Eph.6.
Vt sic curramus in hoc vitæ stadio, ut tandem bravium accipiamus, 1Cor.9.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Adauge nobis FIDEM.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Infunde nobis SPEM.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Accende in nobis CHARITATEM.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleis. Kyrie eleison.
Pater noster.

Oremus.

DEus, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatoris: majestatem tuam supplicite deprecamur: ut nos famulos tuos de tua misericordia confidentes cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut in stadio virtutū indefessè curren-

rentes accipiamus à te separemur. Per
braviũ,& nullis ten- Dominum nostrum.
tationibus unquam

Cap. III.

EXERCITIA PIISSIMA, SEV PRAxes & Actus Variarum Virtutum,

Ex Ludov. Palma Clerico Regul.

Alia ejusdem mire pia & utilia exercitia habes supra Sect. 1.

I. Actus Compunctionis & odii contra peccata.

Declina à malo & fac bonum: inquire pacem & persequere eam. Psalm. 36.

Contritio est, qua quis ex animo super omnia detestatur commissa peccata, ob Deum offensum; cum firmo proposito confitendi, & non amplius peccandi; adjuncta spe veniæ

O Deus meus,& Misericordia mea, ego verè contritus, flecto genua cordis mei, summoque cum dolore animi humiliter me accuso, & coram divina Majestate tua meam culpam agnosco, confitendo omnia peccata mea,& omnes abominationes cõmissas

sas toto tempore vitæ meæ; Summoperè doleo peccasse nō amore præmii justis promissi, quo dignus non sum, neque timore supplicium peccatoribus infligendorum, quibus undequaque sum dignissimus: sed ideò tantùm, quia offendidite, O Deus meus, qui ex te ipso summe bonus es, & super omnia colendus imo ipsa charitas, ipsa Bonitas, ipsa Majestas.

II. Et Propter magnum amorem, quē tibi debeo, quemque erga te gero, Domine, odi, detestor, & abominor omne peccatum, ac doleo, quod hac hora non sentiam tantum odium peccati, neque habeam tam serium dolorem, nec tantam curam deflendi præterita; neque tam firmum propositum cavendi futura peccata, quā. tum vellem & deberem habere, ut meis tantis abominationibus respondeat.

III. Ideò te precor Deus meus, accepta illud odium infinitum, quo tu peccatum detestaris, in supplementum ejus, quod ego habere deberem: & in vicem doloris, quo careo, offero tibi, Misericordissime Pater, dolores Iesu Christi, Filii tui, & Redemptoris mei.

IV. Ah Iesu, mi clementissime, ad pedes misericordiarum tuarum me prosterno, obsecrans te per charitatem illam, quæ de cœlo te traxit in uterum

Vir-

Virginis, ut ignoscas mihi omnia vitia, peccata, negligentias, & ingratitudines. Largire, quæso, ut omnia ista in posterum longè à me fiant: & quamvis ego natura non possim esse impeccabilis, saltem, O Bonitas infinita, fac mihi hanc gratiam, ne unquam mortaliter peccem. Sanè hoc est quod etiam tu ipse vis, desideras, petis; & mandas: da quod jubes, & jube, quod vis.

Deinde fac, Domine, ut loco vitiorum, in me imprimantur omnis generis sanctæ virtutes; quod totum cedat tibi in gloriam, gratiarum actionem nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

II.

ACTVS BONI PROPOSITI.

Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ Psalm. 118.

1. O Potentissime Deus, quia illuminante gratia tua cognosco quantopere sim obligatus ad bene operandum, & prosequendam virtutem: ad declinandum à malo, & fugiendum peccatum: ideo nunc omninò mihi diffisus, totusque confisus & innixus sanctæ tuæ gratiæ, propono, & tota virtute liberi mei arbitrii plenissimo, delibera-

ratissimoq; consensu statuo, nunquam amplius peccare: & potius millies singulis horis profundere vitam, quam unquam graviter te, Deus meus, offendere: aut tentare quidquam, facere, dicere, aut cogitare, quod sit contra tuum beneplacitum: sed ut basiliscum fugere omnem occasionem peccandi, & quidquid tibi displicet: quandoquidem ego volo, quæcunque tu vis, ac detestor, quæcunque tu detestaris.

Et si fortè, quod absit, contingeret, me committere, vel omittere quidpiam, contra tuum beneplacitum, id omne jam nunc protestor, non fore meæ voluntatis & mentis, sed malignæ suggestionis, & subiti motus, huic meo decreto contrarii.

Quapropter libere nunc renuntio omni consensui, tuæ voluntati contrario, & absolutè me abdico libertate arbitrii, quoties ad malum alliciar, & in periculo versabor te offendendi, & in omni eo, quod tendit ad malum.

11. Præterea propono etiam in posterum perfectissimè omnia tua divinè præcepta servare, & quæ tibi in Baptismo aut aliis votis promisi: conaboretiam quantum per gratiã tuam potero, imitari sanctissimã vitam tuam, & comparare habitum omnium earum virtutum, quæ tibi magis

gis placent: & facere per omnia tuam rectissimam voluntatem, & in omnibus reprimere meam, in mala propensam.

III. Adjuva me igitur, Domine; quia sine tuo singulari auxilio non valeo exequi, & implere bona ista mea proposita: da mihi vivam fidem, fortem & constantem animū: ut sicut in peccare non potes per naturam, ita ego non possim per gratiam tuam. Amen.

III.

ACTVS HVMILITATIS, & cognitionis sui.

Qui se humiliat, exaltabitur. Lucæ. 14. 18.

Humilitas est Virtus, quæ reprimit appetitum, ne se immoderatè in alium extollat.

HVmilitas est potius infra terram abscondam!

Et quomodo ego, vilissimus vermiculus terræ, cum video te, Deus meus, amore mei humiliatum ad patiendam ignominiosissimam mortem; quomodo, inquam, ego me audebo extollere, & non

II. Heu me: sic excæcavit me superbia mea, ut meipsum non agnoscam, & non videam, Domine, quod quãto plura dona à te accipio, tanto gravior sit ingratitudo mea, & majora peccata mea; tantoque strictior à me tibi reddenda sit ratio. Ideo

pro-

profectò ego sum vilior peccator omnibus aliis ; & credo, maximos quosque peccatores si habuissent talia auxilia, qualia ego, majore festinatione ad te redituros, ac fortè semper, & majore sinceritate cordis, & affectu, te amaturos, & honoraturos fuisse: sanè magis dolerent de suis peccatis ac fidelius tibi servirent, quam ego.

III. Obstupesco, Domine, quomodo sustineas conspectũ meum, cũ sim creatura tibi tam ingrata. Et ideo prorsus indignum me reputo, ut tibi serviam, tuque exaudias orationes meas ; indignum omni gratia, & cælestibus inspirationibus ; indignus etiam, qui habitem inter tuos fideles ; & in domo servorum tuorum: à quibus, si pro meritis me tractare vellent, nihil aliud audire me oporteret, quam contumelias & convitia.

IV. Vellem etiam omnibus notam esse meam extremam vilitatem & miseriam, ut omnes justa me abominatione detestarentur, ac zelo gloriæ tuæ pro meritis exciperent.

V. Admiror, Domine, tuam erga me pietatem inæstimabilem, qua me toleraſti hucusque, neque ut summa ergate ingratitudine promerebar, in profundissimum inferni puteum deturbasti.

Ah Domine, ex infima abyssо miseriæ

riæ meæ clamo, & invoco abyssum Misericordiæ & pietatis tuæ; dona mihi hanc gratiã ut semper magis meipsum agnoscam, & nunquam me super alios perversè extollam. Amen.

IV.

ACTVS PETITIONIS AD DEVM.

Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ioann. 15.

I. BEnevolentissime Deus, & Dominus meus, quãvis ego sim tuus Creatione, Conservatione, Redemptione, Iustificatione, speciali Vocatione, & naturali conditione: magis tamen peculiarissima electione liberi mei arbitrii cupio esse, & sum tuus: ideò nullius alterius januam, pro gratia aliqua, præter tuam, qui es fons & origo omnis boni, mihi licet pulsare.

Neque aliud desiderare, petere, aut velle à te debeo, nisi illud unum, quod tibi magis placet, & majorem tuam gloriam concernit: & si quando meam voluntatem alterius cujusquam rei desiderio moveri continget, illam jam nunc abominor, detestor, & fieri nolo: precorque divinam Majestatem tuam, ne unquam in similibus me exaudias.

III. Quare, O Domine, quoties ali-

quid à te peto, nihil intendo petere, nisi per IESUM Christum, Filium tuum; sanctissimis ipsius, & meis quidibuscunque desideriis pariter conjunctis. Itaque benigne Pater, si non mea, saltem gratiosa desideria Filii tui meretur admitti. Voluntas dulcissimi Filii tui, Deus meus, vult, desiderat, mandat, ut ego sim mitis & humilis corde, patiens, benignus, charitate repletus; cupit ut vivam tibi, mihi moriar. Da, benevole Pater, Filio tuo, ut impleatur hoc, tam pium sanctumque desiderium ejus: sic enim satisfiet etiam meo, & ipsius honori & totius SS. Trinitatis laus & gloria augebitur.

IV. Domine, quia nihil ego boni ex meipso præstare queo, concede mihi hanc gratiam, ut ego te sinam facere, quæcunque volueris; & ut meum facere, sit acquiescere tibi, ut agas in me id unum, quod maximè tibi placuerit.

Et ut in me nihil sit, quod tibi displiceat, exorna me sanctis virtutibus, dando mihi augmentum Fidei, Spei, & Charitatis; humilitatem spiritus, puritatem cordis, & omnes illas Virtutes, dona, gratias, quas scis mihi, esse necessarias; & quidquid in mea sive anima, sive corpore desideras inveniri.

V. Præterea, tota contentione pectoris

ris mei: peto à te veram contritionem de peccatis meis; & plenam remissionẽ illorum: & ut in posterum des, me millies potius velle corpore mori, quam ut vel semel moriar anima.

VII. Ita pius es, dulcissime Domine: ita ad rogandum ipse me excitas Misericordiâ tuâ, ut ego terra & cinis petere audeam, non solum id quod habes, sed illud etiã, quod es ipsemet: peto, inquam, infimus tuus cliens, ea qua possum demissione animi, te solo, & unico perfrui; in te solo respirare, & quiescere, & non in aliquo tuo dono quantumvis excellente, nobili, pretioso, divino.

VII. Peto purissimam illuminationem intellectus, ad tria præcipuè cognoscenda. Primum ad cognoscendum perfectissimè beneplacitum tuum, & faciendam integrè sanctissimam voluntatem tuam. Deinde ad cognoscendam propriam meam vilitatem, ingratitudinem, & ad omne bonum indignitatem. Denique ad habendam perfectam notitiam omnium virtutum moralium, illasque consequendas, quo in me, Deus meus, amor tuus nudus, purus, ac sincerus magis magisque proficiat.

VIII. Tandem rogo te, placeat tibi acceptare meas orationes, non ut à me

procedentes, sed velut à te inspiratas: & illas conjungere cũ orationibus Filii tui, IESU Christi, sanctissimæ Matris suæ, SS. Angelorum Apostolorum, Martyrum, Doctorum, Virginum, Confessorum, & utriusque Ecclesiæ, triumphantis ac militantis: ad obtinendas supradictas gratias & dotes spirituales, & corporales: tam mihi quam proximo: neque attendas, Domine, personam meam, sed illorum, quorum offero tibi merita, precesque, per IESUM Christũ, Filium tuum: à quo derivatur, & provenit omne opus meritorium, & omnis bona voluntas. Quod totum cedat ad sempiternam gloriam, & honorem amabilissimæ, adorandæ, gloriosissimæq; Trinitatis, Amen.

V.

ACTVS RENVNCIANDI VOLVPTATIBUS, pro conservanda Castitate.

Erunt sicut Angeli in cœlo, qui neque nubent, neque nubentur. Matth. 22.

1. PVrissime Domine, & meritissime possessor cordium humanorum, tibi libentissimè do omnimodam possessionem, & directum dominium meorum omnium, renunciando omni affectui terreno, & sensuali delectationi:

ni: ita ut si ego possem frui omnibus voluptatibus, & deliciis sensus & carnis, quæ ab omnibus hominibus delibari ac percipi solent, quæque desiderantur; & si possem illis etiam sine peccato perfrui, nihilominus tamen liberalissima mente illis renunciarem, & promptissimè illas refugerem: sicuti nunc renuncio & refugio, quo tibi magis placeam, tibi purius vivam, meque tibi cõformem.

11. Præterea non solum repudio quascunque delectationes carnis, sed etiam sensualitatis: ut sunt oculorum, ne aspiciant illa objecta, quæ oculis hominũ videntur pulchra, delectabilia, & curiosa, aut etiam quãcumque rem creatam, quæ ipsos afficiat.

Sic etiam renuo omnem aliam delectationem, quam à quacunque re creata possent accipere sensus mei; id quod toto corde desidero in me impleri, tantum ut magis oblecter in te, tibique gratior fiam. Quia cum laqueos omnium illecebrarum abrupero, & meum cor ab omni gustu, & oblectatione terrena purgavero, tũc demum facilius illud se tibi conformabit, & uniet cum tuo corde, mi dulcissime Iesu. Et sic potero felici tui conspectu potiri, quemadmodum dixisti: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-*

videbunt. Extingue igitur in me, Domine, & extirpa radicitus, funditusque omnem cupidinem carnis, & sensuum.

III. Imo ut magis tibi placeam, serviam, & te purius amem, non solum repudio omnes supradictos gustus, voluptates, & delicias: sed etiam statuo ne illis quidem inhiare, quæ sunt spiritus nisi quà prosunt ad excitandum in me fastidium sensualium, eoque perducũt, ut mea tota oblectatio, gustus, & consolatio in te solo sit, & in beneplacito sanctissimæ voluntatis tuæ. Amen.

VI.

ACTVS RENVNCIANDI BONIS temporalibus, amore paupertatis.

Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Luc. 14.

I. REx Regum, & Dominus Dominantium, Deus meus, superabundo consolatione, & cor meum exultat gaudio, quando cogito, te absolutum esse universorum, & inter universa omnei quoque, postremi & minimi Dominum. Vnde ab alio, quàm à te, possideri nolo; nec aliud ego possidere aut habere volo pro meo bono, & thesauro, quam te: ita ut si mihi offerretur possessio; & Dominium totius mundi, cum omni

ni sua opulentia, splendore, potentia, ego promptissimè ipsi renunciarem sicut in præsens illi sponte, libereque renuncio: neque illi solum, sed etiam omnibus aliis rebus, quæ ab humano corde in hac vita desiderari possunt: atque hoc tui solius amore.

11. Et ne, cum omnibus renunciaro, meum animum detineant aliqua de singulis, profiteor Domine, quod si me nunc exui velis amictu, quo tegor, & omnibus commoditatibus meis privari, æquo id animo ferrem; ut magis me tibi, qui nudus pro me in Cruce pependisti, conformem, & magis in meâ nuditate tibi placeam, Domine Iesu.

Si exturbarer & excluderer domo, quam inhabito, tibique Domine magis placeret me habitare cum feris in sylvis, aut in quocunq; alio loco vili morari, foré cõtẽtus

111. Si quando privabor melioribus cibis & fructibus terræ, & ad sustentationem vitæ non nisi panem durum, ac cibarium cum aquâ habuero; contentus ero, & pro eo gratias agam: quandoquidem & illo sum indignus, propter multiplicia peccata mea Ah Domine, inprime cordi meo hanc veritatem: adjuva & ne permittas me istis vanis bonis mundi, aut quacunque re creata, exquisita, pretiosa, vel

tenuissimè affici: sed totum meum bonũ, thesaurus, & divitiæ meæ in te sint, & cor meum in te solo cõquiescat. Amen.

VII.

ACTVS RENVNCIANDI PROpriæ voluntati, ex virtute obedientiæ.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. Luc. 9.

1. REctor & primus motor universi, cui omnia obediunt. Deus infinitæ Majestatis, desiderio ardet cor meum, quoties mecum ipse cogito (cogito autem sæpissimè) quomodo possim tibi placere, & me per omnia beneplacito tuo conformare. Et propterea nunc ultro & liberè me totum tibi offero, & mancipo: peculiariter autem propriam meam voluntatem, cujus liberam possessionem tibi trado, & resigno: quandoquidem aliud, præter hanc, in mea potestate non habeo. Hanc ergo per omnia, & in omnibus, cum plenissimo usu & exercitio sanctæ obedientiæ, sanctissimæ tuæ voluntati subijcio: renunciando planè firma resolutione, quantum possum, voluntari & libero meo arbitrio.

11. Tuaque gratia fretus, propono, sem-

semper tibi obedire, in omni re, non facili magis, quam difficili; amplectendo de novo, & acceptãdo libentissimè omnia sancta tua præcepta, & quantum ratio vocationis & officii mei patitur, etiam consilia: desiderans, ut illa sint perpetua regula, ac lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis: dulcia sint faucibus meis eloquia tua; adimpletio eorum super mel & favum. Voluntas tua sit corona capitis mei: & tanquam torques in collo meo, facere quæ tu, Deus meus, mandare nobis, & suadere dignaris. Nolo proinde meam voluntatem, vel in minimo unquam tibi esse rebellem, sed semper ad unguem tuæ conformem: ita ut sola contraria cogitatio, & motio, sit mihi dolori, ac tormento.

III. Subjicio etiam hanc meam voluntatem, tui amore, omnibus meis superioribus, in omnibus illis rebus, quæ sunt consentaneæ divinæ tuæ legi, aut ei non expresse contrariæ. Quantumvis autem ardua, molestaque mandaverint nihilominus propono, cum tuo auxilio, promptè illa exequi.

IV. Ah Domine, tolle, tolle tandem penitus à me propriam meam voluntatem; nec sit amplius indicium, neque vestigium meæ voluntatis in me: sed omnia mea tua sint: exure, & redige illam

ardore & igne tui amoris in favillam: ut ablato & consumpto malo, totus ego tandem purus & tibi gratus evadam. Amen.

VIII.

ASPIRATIO MENTIS in Deum.

Os meum aperui; & attraxi spiritum, Ps. 118.

I. O Deus meus, propter immensum illum amorem, quo me prosequeris, utinam ego sic redamem te, sicut mereris & debes amari.

II. O Domine mi, Deus amoris, Bonitas infinita, utinam, sicut ego in te, & per te solum vivo, sum, & moveor; ita etiam meum vivere, moveri, & esse totum cedat in honorem, & gloriam tuam.

III. O Pater misericordiarum, utinam talem me facias, qualem Filius tuus meretur, & Spiritus sanctus me esse desiderat.

IV. Amare te volo Domine, quia summe bonus es: mei vero ipsius curam habere non ulla de causa, quam quia tuus sum; & conservatio mei ad honorem tuum pertinet. Et ideo protestor, totam curam, quam habiturus sum de me, non futuram quasi de re mea, sed quasi de tua, id est, non mei sed tui causa.

sa

sa me amabo.

v. Gratum hoc tibi sit, Deus meus: & acceptum habe, Domine, ob amorem dilectissimi Filii tui, Iesu Christi Redemptoris mei, in quo tibi benè complacuit.

IX.

ACTVS ELICIENDI, CVM AVDImus, vel videmus aliquod bonum proximi.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua, Psal. 118.

1. DOmine Deus meus, cum audio, & video proximum meum, & particulariter N. tibi servire, & boni aliquid facere vel moliri; gaudeo, & multum in hoc mihi complaceo. Et bonum ipsius quasi meum reputo: & tāquam meum, illud tibi offero, dedico, cum omnibus illis bonis, quæ omnes Sancti peregerunt olim & peragunt adhuc in universo mundo, ad æternam gloriam tuam, perinde ac si ipsemet ea feciſſem, & facerem.

11. Ago tibi gratias, Domine, pro bonis inspirationibus & auxiliis, quæ tam huic personæ; quam omnibus aliis meis proximis tribuistis, & tribuis ad benè operandum, loquendum, & cogitandum: neque aliter de hoc tibi gratias

tias ago, quam si tale beneficium propriè fuisset exhibitum animæ meæ.

III. Quin etiam insinuo, & immitto me in proprium cor ipsius, & omnium famulorum, & famularum tuarum, ut simul cum eis ex corde perficiam omne illud, quod ipsi in cultu & obsequio tui faciunt, & desiderant facere. Tu enim scis, Domine, quod ego idem omninò vellem præstare, si tu à me idem fieri velles, & ad idē agendum gratiam, vires, occasionem, & facultatem dares. Nulla profectò me difficultate, nulla timore ab illo præstādo me absterreri sinerem.

IV. Adauge vero, Domine, enixè rogo, in illo, bonum gratiam, & merita, cum omni virtute, quantum ipse, te inspirante, desiderat, aut te sciente, indiget: ut à quo tibi grata præstantur obsequia, multo etiā grātiora, & perfectiori modo deferantur.

V. Denique largire, quæso, Domine mi, ut quisquis viderit tale bonum, exemplo inflammatus, paria meditetur, & agere studeat, secundum dispositionem tuæ voluntatis, ad majus tuum obsequium, & gloriam. Amen.

(*,*)

X.

ACTVS ELICIENDI, CVM AVDIMUS & videmus aliquod malum proximi.

In quo judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, Matth. 7.

1. MI perfectissime Domine, cum audio, & video aliquod malum, maximè spirituale, proximi mei, summoperè compatior humanæ fragilitati, quamvis omnibus communi: & præcipuè compatior defectui hujus N. Attamen non credo, tantum esse malũ illud, quantum mihi videtur, vel esse dicitur: imò fortè nullũ est: neque tale videtur lucidissimo oculo tuo, quale nostro fallaci. Si tamen, Domine scrutator cordium nostrorum, est culpa aliqua, magnoperè doleo de lapsu fratris mei: multò magis autem de tua offensa.

11. Ego in vicem hujus defectus, & in compensationẽ tuæ offensæ, offero tibi pretiosum sanguinẽ Iesu Christi, Filii tui, tantopere humiliati & attriti propter scelera nostra: illius charitatem, mansuetudinem, ac longanimitatem inter continuos nostros defectus tibi repræsento.

111. Sed heu! & e-

go id ipsum perpetravi: vel in alio simili te non minus offendi, proh dolor! & gravius etiam te offenderem, nisi tua me gratia præservaret. Vnde etiam toto corde gratias ago tibi pro auxilio, sine ullis meritis meis mihi præstito.

IV. Optime scio, Domine, te ex quovis malo elicere posse majus bonum: alias malum non permitteres. Cedat ergo ad majorem tuam gloriam defectus iste; ad majorem verò humilitatē & cognitionem sui ipsius, qui peccavit.

V. Oro denique, occlude omnium oculos, ne indè sumant audaciam patrandi similia: liga linguas morsu conscientiæ, ne de re illa malè loquantur, neve ex minore delicto, quod per humanam infirmitatē admissum est, per defectum charitatis & improbitatem humanam plura alia nascantur.

XI.

ACTVS CHARITATIS, ELICIENDÆ ex quacunque re creata bona malaq;

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Roman. 8.

1. BEnignissime Domine, magnam capio voluptatem, non solum ex omni illo amore, quo te prosequuntur omnes sancti, & justi, qui sunt in hac vita: sed

sed multo magis illo, quo te longe sincerius complectuntur, tum illi, qui corpore liberati; adhuc in aditu Regni cœlestis commorantes, avidissimè faciem tuam expectant: tum illi, qui in penetralia felicitatis admissi, clarissimo tui conspectu fruuntur, homines & Angeli: ac præcipuè inter illos SS. Humanitas I. C. Redemptoris nostri, & Beatiss. Virgo Maria.

II. O si ego possem te amare omnibus illis affectibus, quibus illi omnes te amant! quam id libenter & hilariter præstarem! Sed quia non possum gaudeo saltem, ipsos, qui melius possunt, id facere: optoque ut semper magis magisque id faciant, & in amore eodem perseverent in æternũ, secundum beneplacitum tuum.

III. Ex altera parte, Domine, vehementer displicet mihi: ac doleo, plurimos alios è servis tuis negligentius te amare: plerosque etiam, pro amore, tibi referre injurias. Obsecro, Domine, pro infinita Bonitate tua, ignosce illis, & largire gratiam tuam, qua se emendent, & te vel jam incipiant amare super omnia, & in omnibus exequi tuam sanctissimam voluntatem.

IV. Sed quid dicã de illis, qui à te ad imaginem & similitudinem tuam formati, & innumera-

rabilibus beneficiis donati, cum te, quē super omnia amare deberent, ne agnoscunt quidem, infideles & improbi? Quātum hoc, amabilissime Domine, dolorē mihi creare debet, quas excutere lacrymas? Vtinam omnium illorum corda, & voluntatem in potestate mea haberē, ut possem illos tuo amore inflammare? Ecce, Domine, saltē cogitatione mea purgatos ab omnibus peccatis, quales ego esse desidero, & tu facere potes, omnes illos puros, & sanctos tibi offero, ad honorem & gloriam tuam.

O quanta mihi felicitas eveniret, si possem ego supplere defectum ipsorum, prosequendo te actibus illis amoris, quibus ipsi te prosequi deberent! & non solum ipsorum defectum, sed etiam pravorum Angelorum, & hominū damnatorum, qui pro amore & laudibus, execrabili contra te odio itaque flagrant, longe pejus, quàm flammis inferni. Sed quia ne pro mea quidē parte, satis amare, ac laudare te sufficio, omnem & meum, & aliorum defectum, desiderio saltē, quo possum, & quantum possum, suppleo.

v. Interea magnū mihi solatium est, quod sciam tuam divinam Majestatem infinito suæ voluntatis affectu satisfacere pro omnibus, & omnes amandi partes explere: cùm infini-

finito amore amas te ipsum. Quare summopere gaudeo, & hunc amorem nunc tibi humiliter exhibeo, & pro me offero, in supplementũ etiam omnium illorum, qui omittunt hoc facere, O Deus, amor meus, summũ, & unicum bonum meum!

ORATIO

Divi Thomæ Aquinatis, ad multas magnasque virtutes impetrandas aptissima.

COncede mihi, quæso, omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere & perfectè adimplere.

Ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meum: & quod à me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim, & velim: & da exequi ut oportet, & expedit saluti animæ meæ

Via mihi, quæso, ad te sit tuta, recta & consummata, non deficiens inter prospera & adversa, ut in illis non extollar, & in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam & in adversis servẽ patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere, & quod

quod ad cultum tuum non pertinet; quasi mortuũ reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara mihi sint omnia tua, & tu Deus meus plus quam omnia. Delectet me omnis labor qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te.

Frequenter & ferventer da mihi dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectionem meam, cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque ædificare verbo & exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Iesu, cor pervigil, quod nulla à te abducat curiosa cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vendicet violen-

ta

ta delectatio: & da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter & fiducialiter exspectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: Da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas, &c.

SECTIO V.

De Sacramento Eucharistiæ.

Hæc Sectio docet Praxim tum piè communicandi, tum Celebrandi & Audiendi Missam.

Cap I.

ORATIO DOMINICA,

Variis Exercitiis & piis conceptibus ad praxin piè Communicandi accommodata.

Pater noster,

POtentissime, sapientissime, clementissime, qui ut dulcedinem in filios tuos demonstrares, Panem suavissimo de

de cœlo præstito, e- surientes reples: & quæ creasti, omnia tam paterne & mirabiliter alis, foves, ac conservas. Ecce & ego unus, licet vilissimus filiorũ tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, *Qui es in cœlis*, ut tu paternæ benevolentiæ oculis respicias super me miserum, & inopem: procul agẽtem à facie Patris, inter filios Evæ, in valle lacrymarum, exulem & peregrinum super terram; & suspirantem ad te dulcissimũ Patrem meum. Quid verò nunc potissimum petam à te? nisi ut

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Hoc enim est præcipuum votum, & desiderium cordis mei, ut omnia, quæ facio, dico, cogito, cedant ad majorem gloriam Nominis tui. Et nunc præcipuè, cum ad sacra mysteria Corporis & Sanguinis Filii tui venio, hoc unum intendo, hoc unicè desidero, ut laudetur suprema Majestas, Potestas, Bonitas & Sapientia tua; cui debetur ab omni creatura, omnis honor & gloria, æterna laus, & gratiarũ actio, quia sic dilexisti nos, ut Filium tuum Vnigenitum nobis dares, tum in cibum tum in salutis pretium.

2. *Adveniat regnum tuum,*

Cujus regni felicitatem, ac delitias in hoc Sacramento prælibamus. Dedisti enim nobis in pign⁹ fu-

futuræ gloriæ Corpus & Sanguinẽ Filii tui, & sic nos quoque per gratiam adoptionis fecisti tibi heredes coheredes autem Christi.

Interim verò, dũ adhuc in exilio peregrinamur à Domino, fac nos, sic uti hoc sacro pignore, ut indies, magis magisque in nobis proficiat regnum tuum gratiæ, & tandem perveniat in nos regnum tuum gloriæ,

3. *Fiat voluntas tua.*

Quæ est autẽ voluntas tua, nisi sanctificatio nostra; maximè cùm accessuri sumus ad hæc sancta sanctorum? Vis etiam ut manducemus Carnem Filii hominis, & bibamus Sanguinem ejus; aliàs non habituri vitam in nobis: Quis autẽ hoc facere præsumeret, cõscius infirmitatis suæ, nisi id tam amanter & dignanter tu una cum Filio velles, & præciperes? Quia ergo ita vis, fiat quod vis; & quomodo vis. Nempe Sanctos nos esse vis, quia Sanctus est; imò Sanctus Sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis nos Sanctos & mundos faciet, nisi tu? Da quod jubes. Fac ut Sancta nõ tractemus nisi sanctè, castè, & religiosè.

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Oculi enim omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, & imples omne animal be-

benedictione, & mihi deesse poteris? Scis autem Domine, quia non minus Anima, quam Corpus cibo reparari indiget, ut vivat. Nam sicut illud naturalis calor, sic hãc æstus concupiscentiæ continuo depascitur. Sed O felices filios, qui in Domo tanti Patris (Ecclesia) sic abundant, panibus! Hinc Panis gratiæ, & verbi Dei, copiosè frangitur. Hic Panis Sacramentorum, & præsertim Panis ille vivus, qui de cœlo descendit, omnibus apponitur. O pretiosa & nobilis esca! O grandis æterni Patris charitas & misericordia!

Da mihi ergo, benignissime Pater, ut hoc *Pane* sæpius dignè reficiar: imò etiam quotidiè (*si non sacramentaliter, saltem spiritualiter*) recipiam, quod quotidie mihi prosit. Outinam hoc cœlesti *Pane* & viatico ita sustenter in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usq; ad montem Dei.

℣. *Et dimitte nobis debita nostra.*

Heu, quam multa & gravia! in multis enim offendimus omnes; verè miseri nos & inopes solvẽdo non fuimus, nec sumus.

Sed ecce Domine apud te est misericordia, & copiosa apud Filium tuum redemptio; quem nostri misertus dedisti nobis. Quod nos debuimus, ille solvit: quod nos peccavimꝰ

ipse

ipse luit & justitiæ tuæ abūde satisfecit donans nobis immē. sum thesaurū meritorū suorū, & infinitum pretium sanguinis sui.

Hoc autem totum pretium velut depositum habemus in pretioso sanctissimi Sacramenti scrinio reconditum.

Hunc ergo thesaurum nunc offero tibi Pater æterne, ut inde capias, quantum exigis à me pro debitis meis. Ego, unde solvam, non habeo; at Filii tui superabundant merita, ut inde nostra solvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimittimus, inquam, ne forte extra vinculum charitatis indignè tractemus Sacramentum pacis & unitatis; & frustrà à Deo quæramus medelā; si homo homini reservemus iram.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

O Domine, qui parasti in conspectu nostro mensam adversus omnes, qui tribulant nos, & panem apponis hic, qui cor hominis cōfirmat, adversus omnes tentationes Mundi, Carnis, & Dæmonis: da mihi per cibum cælestem & vivificum vires, & robur, ut tentatus non succumbam, sed tibi constanter adhæream.

7. Sed libera nos à malo.

Multis enim in hac vita casibus & miseriis obnoxii sumus; ea verò cēsētur mala,

mala, quatenus nos fragiles dejiciunt, & abstrahunt à Te: abduci autem à Te, id est, summo Bono, hoc utique est summum malorũ. Quis verò liberabit nos ab hoc malo, nisi Tu fons omnis boni? & quem nobis dedisti Advocatum apud Te, omnisque salutis & felicitatis auctorem: *Iesus Christus* qui nos à peccato, & à morte liberavit in sanguine suo?

Hoc mediatore fac ut omnia nobis cooperentur in bonum quia non est nobis in alio aliquo salus. Is ergò, ut verè præsens est in hoc Sacramento, ita nobiscum sit ubique, ille nos pascat, regat, conservet, protegat, ducat pro clementissimo suo beneplacito, velut oves pascuę suæ.

CAP. II.

LITANIÆ EVCHARISTICAE,

tum Sacrificantibus, tum Communicantibus utiles,

Ex Sacra Scriptura collectæ.

Nota: *Quæ his signis* [] *inclusa reperies, ad solos Sacerdotes pertinent; & ab aliis præteriri possunt.*

KYRIE ELEISON. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater

Pater de cœlis *Deus*, qui sic dilexisti mundum, ut Filiũ tuum Vnigenitũ dares eumq; pro nobis carnem sumere, & Crucem subire fecisti: *Miserere mei:*

Vt eum visceribus, & intimis amoris affectibus excipiam: & meipsum totum, quantus sum tibi reddam, nec mihi, sed tibi vivam.

Pater liberalissime, qui, juxta promissionem Filii tui dilectissimi, dabis nobis si quid petierimus in nomine ejus: *Miserere mei:*

Vt hoc quod unicè precor, obtineam: nimirum, ne unquam indigne, vel ad judicium Corporis & Sanguinis Filii tui mysteria sumam.

Pater orphanorum, in quem sperant oculi omnium; & tu das illis escam in tempore opportuno: *Miserere mei:*

Et Panem quotidianum da mihi hodie, Panem, inquam, vivum, qui de cœlo descendit, ut confirmet cor meum, & nutriat in æternum.

Fili Redẽptor mũdi *Deus*, qui ex infinita charitate in castissimo Mariæ Virginis utero carnem sumens, in similitudinem hominum factus es, & habitu invẽtus ut homo: *Miserere mei:*

Vt tam immensæ charitatis tuæ, & sanctissimæ Incarnationis memoriam, intimo corde recolam, quoties per hoc

Sacramentum nasceris in anima mea.

Jesu benignissime, qui nos exhortaris ad sumendũ te dicens; Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Et: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinẽ, non habebitis vitã in vobis *Miserere mei:*

Et da mihi hunc panẽ, & potum, dignè sumere, ut non esuriam nec sitiam iterum; nec moriar in æternum.

Jesu veracissime, qui teipsum tradens in cibum & potũ, dixisti *Hoc est Corpus meum*, quod pro vobis tradetur. Et, *Hic est Sanguis meus*, qui pro vobis effundetur: *Miserere mei:*

Ut non vacillem in fide, & verbis oris tui: quia tu es ipsa Veritas, in cujus ore non est inventus dolus aut mendacium; es quoque Deus summe potens, apud quem non est impossibile omne verbum.

Jesu gratissime, qui peracto hoc mysterio corã Discipulis tuis Patri AEterno gratias egisti, & hymno dicto, ad hortum orationis locum egressus es: *Miserere mei:*

Ut nunquam ab hoctã excellenti convivio ingratus recedam sed tanti beneficii seria consideratione, magis magisque in tui amorem exardescat anima mea.

SPIRITUS SANCTE DEUS, qui my-

mysterium Incarnationis Domini N. *Jesu Christi* mirabili virtute divinitatis operatus es in utero Virginis; eam ineffabili modo fœcundans & sanctificans, ut dignum Filii *Dei* habitaculum efficimereretur: *Miserere mei:*

Ut ego quoque eundem Dominum ac Deum *meum syncero affectu ac puro corde in hoc Sacramento concipere, & deinceps sanctis operibus palam ostendere valeam.*

S. Trinitas unus Deus, qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione: *Miserere mei:*

Ut panis ille qui confirmat cor hominis, detur mihi ad vescendum, & in fortitudine cibi illius ambulem per hoc desertum usq; ad montem sanctum tuum.

S. *Trinitas* unus *Deus*, qui filios Israël per desertum euntes manna de cœlo, & cibo Angelico, omne delectamentum in se habēte pavisti, sed tandem super eo nauseantes severè punisti: *Miserere mei:*

Ut purgato cordis palato, gustem & videam quam suavis sit Dominus; nec unquam nauscet anima mea super cibo isto tāquā levissimo

S. *Trinitas* unus *Deus* qui non semel olim irreventiam & injuriam circa Sacrificium, & Arcam) figuras

ras tantum & umbras hujus Sacramenti nostri) cõmissam gravi punitione castigasti: *Miserere mei:*

Ut his exemplis monitus, cautius, sanctius, & religiosius Sacrosancta mysteria tua tractare satagam.

[*S. Trinitas* unus *Deus* qui pro infinita clementia tua elegisti me in ministrum tuum, & de stercore erigens pauperem, voluisti me fungi Sacerdotio, ut offeram tibi dona & sacrificia in odorem suavitatis: *Miserere mei:*

Ut hunc tam sublimi & sanctæ vocationi dignis moribus respondeam, tibique puris manibus ac mundo corde semper immolem Sacrificium laudis, & reddam tibi Altissime vota mea]

SANCTA MARIA, quę sola inter mulieres benedicta, ad altissimum Dominicæ incarnationis mysterium electa, & à Spiritu sancto præparata, Dominum cœli & terræ castissimis visceribus tuis concipere, novem mensibus gestare, ac mundo Salvatorem edere meruisti: *Ora pro me:*

Ut & ego indignus famulus tuus hũc ipsũ Dominum, imo Filium tuum pura mente in hoc [*sacrificio*] (*vel*) *Sacramento suscipere & portare* [*aliisque dispensare*] *valeam.*

Omnes SS. *Angeli*, & *Ar-*

Archangeli, qui Dominum vestrũ propter nos hominem factum humiliter adorastis, & jacentem in præsepio Regem vestrum cum stupore venerati estis, nec non gaudium de nato Salvatore nunciastis: & jam regnanti in cælis ad ministerium semper assistitis, quin et iam ipsum Altare, celebrante Sacerdote, frequentes ac venerabundi cingitis: *Orate pro me:

Ut & ego hunc panem Angelornm digno semper honore tractem, & ejus frequẽti usu sic confirmetur cor meum, ne unquam mihi prævaleant inimici mei.

Sancte *Ioseph*, qui in sponsum Mariæ Deiparæ, & in Nutritium Christi *Jesu* à *Deo* delectus Sponsæ & Conjugi tuæ sedulam curam, & obsequium; Alumno, ac filio tuo putatitio omnem cultũ & honorem præstitisti: *Ora pro me:*

Ut & ego utrique se[illegible] lo famulari [illegible] & præsertim Christi Venerabili Sacramento [illegible] cultum ac reverentiam semper exhibeam.

Sancti *Magi* & *Reges*, qui stella duce de longinquo venientes, ad Regem Regum recens natum properastis, eique munera vestra singulari fide & intima devotione, procidentes in terram,

humiliter obtulistis: *Orate pro me:*

Ut ego quoque ad hunc ipsum Regem verè in hoc Sacramento præsentem adorandum, & muneribus meis licet exiguis honorandum, simili fide & religione veniam, vel potius donis ejus præveniar, & simili, qua vos, clementiâ suscipiar.

Omnes *SS. Patriarchæ* & *Prophetæ*, qui variis typis, figuris, & umbris hujus Sacrificii & Sacramenti mysteria præfigurastis & ad Messiam ingenti desiderio, multis votis ac suspiriis anhelastis: *Orate pro me:*

Ut ego, non quidem umbram, sed rem ipsam non figurã, sed ipsã veritatem, ipsum Dei *Filium sanctè tractare, ac puro corde complecti valeam*

S. Joannes Baptista, qui visitatus à Christo, & Matre ejus, exultastis præ gaudio in utero Matris tuæ. Postmodum verò indignum reputabas te qui solveres corrigiam calciamẽti ejus; dignus tamẽ, qui ipsi Christi præconio, maximus inter natos mulierũ, & plusquã Propheta audires, & sacrũ ipsius verticẽ baptizando contingeres: *Ora pro me:*

*Ut & ego lætabundus introeam ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Sed tamen non sine timore & profunda humi-

militate coram tremenda ejus majestate comparere studeam.

S. Petre Princeps Apostolorum, qui Christum Filium *Dei* vivi, non quidem ex instinctu carnis & sanguinis, sed revelatione AEterni Patris in cœlis, confessus es: & pascendas ab eo oves sed & claves cœli accepisti: *Ora pro me:*

Ut ego in hoc Sacramento viva & immobili fide confitear verum Deum *ac Dominum meum* Iesum Christum *eumque verè ac realiter hic præsentem agnoscam, proindeque eum, ut par est, reverear.*

S. Paule, qui raptus in tertium Cœlum de cœlestibus mysteriis singulariter edoctus fuisti, adeoque institutionem, & legitimũ usum hujus Sacramenti gravissimis verbis tradidisti: *Ora pro me:*

Ut ego accessurus ad hæc tremenda mysteria, prius serio juxta monitũ tuum probem meipsum, sollicite cavens, ne illa ad judicium & mortem suscipiam: nec unquam reus efficiar Corporis & Sanguinis Domini.

S. Joannes dilecte Domini, qui in novissima Cœna singularis tui erga Magistrum ejusq; vicissim erga te amoris fiduciâ recubuisti super pectus Domini, & indè suxisti fluẽta

Ora pro me:

Ut ego ad Christum Salvatorem meum in Sacramento præsentem magis trahar amore, quàm deterrear timore; & sancta fiduciâ innitar super dilectum meum, hauriamque in gaudio aquas vitæ de fontibus Salvatoris.

Omnes SS. *Apostoli*, qui in ultima Cœna, ab ipso Christo Salvatore Sacerdotes creati, potestatem accepistis consecrandi hæc SS mysteria; sed præmissa pedumlotione, ad verum Agnum, id est. Corpus & Sanguinem Domini vestri, manducandum admissi estis: *Orate pro me:*

Ut & ego gratiam & munus Sacerdotii [per vestros Successores manuum impositione mihi collatum] *debito honore venerer, & no nisi mũdatâ prius conscientiâ ad participanda hæc divina mysteria veniam.*

SS. *Evangelistæ*, qui institutionem hujus Sacramenti illustri testimonio asseruistis: *Orate pro me:*

Ut ego plenâ fide, spe viva, charitate fervidâ hoc magnum mysterium venerari semper & participare valeam.

Omnes SS. *Discipuli Domini*, qui unà cum primis Fidelibus perseverantes eratis quotidie in communicatione fractionis panis, *Orate pro nobis:*

Ut & nos, qui de uno Pane,

Pane, & de uno Calice participamus, non nisi in unione pacis & vinculo charitatis, ad Sacramentum pacis & amoris accedamus.

Omnes *SS. Martyres* qui Christo Regi Martyrum Corpus & Sanguinem suum nobis in ara Crucis & Communionis offerēti, Corporis & Sanguinis vestri victimam reddidistis: *Orate pro me:*

Ut ego spirituali martyrio mortificem membra mea super terram, & [oblaturus] *seu* [susceptu.rus *sacra mysteria, me ipsum prius matem* Deo *hostiam vivam, acceptabilem, sanctam, Deoque placentem, sacrificium Iustitiae, in odorem suavitatis.*

Omnes *SS. Pontifices & Confessores* Sacerdotes Domini, qui ut ministri Christi, & fideles dispēsatores mysteriorum Dei, sanctè functi estis Sacerdotio; & pro populo hostiam placationis frequenter obtulistis: eundemque pane verbi, & Sacramenti indefes. sè pavistis: *Orate pro me:*

Ut & ego munere fidelis [Sacerdotis] *sive*) Christiani *strenuè fungar; ne oblata salutis remedia spreviſſe, vel gratiam Dei in vacuum recepisse forsan inveniar.*

Omnes *SS. Monachi & Eremitae*, qui egressi de AEgypto

hujus seculi, id est mũdo mortui, nõ amplius suspiraſtis ad ollas carnium, ſed concupiſcentias carnis viriliter calcantes, cibo Angelorum, manna de cœlo, pane vivo paviſtis in deſerto hujus ſeculi animas veſtras, donec veniretis ad terrã promiſſionis lacte & melle manentem: *Orate pro me.*

Ut ego viles Ægypti cibos faſtidiam, voluptates, inquam, ſeculi ſpernam præ deſiderio hujus cibi cœleſtis, nec delecter ſiliquis, porcorum, cui datum eſt veſci pane filiorum.

Omnes *SS. Virgines & Viduæ*, quę pluſquam virili animo, conſtans propoſitum continentiæ & caſtitatis arripuiſtis, adeoque obduriſtis corpora veſtra hoſtiã vivã ſpõſo veſtro Deo viventi & ſic caſtas ac perpetuas cum Sponſo nuptias celebratis *Orate pro me:*

Ut ego per vinum germinans Virgines caſtitatis zelum imbibam, ac continuè puri cordis amore indiſſolubile teneam cum Sponſõ veſtro connubium, eumque in hoc Sacramento verè præſentem mediullitus ac totis viſceribus amplectar, & exoſculer.

S. MARIA MAGDALENA, quæ unà cum Sorore Chriſtum hoſpitio excepiſti, ſed vacans à miniſterio, & ſedens ad pedes Domini, audiebas ver-

verbũ illius. Alias quoque in convivio Pharisęi, pedes Domini lacrymis tuis ubertim manantibus lavisti & capillis tersisti; sic & amore in Dominum, & dolorem criminum palam ostendens. Denique pendenti in Cruce adhæsisti, & sepultum vi amoris æstuãs quęsivisti: *Ora pro me.*

Ut & ego à curis seculi abstrahar cor meum, & quæram præ omnibus in otio sancto vacare Deo: Accessurus vero ad Dominum meum in hoc Sacramento, prius contriti cordis lacrymas offerã Deo meo, & Crucifixo libenter adhæream; non quærens gloriari, nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi.

Omnes *Sancti & Electi Dei*, qui jam revelata facie in patria, visione beata aspicitis, & pleno jam ore manducatis Panem illum, quem nos nonnisi per speculum in ænigmate conspicimus, & aliena specie velatũ accipimus. Vos enim felices portũ tenetis: ad quẽ nos miseri tendidimus, O quot inter tempestates & pericula! Viatico egemus, ut superemus. Viaticum Christus est; Via utique Veritas, & Vita: & unicũ solatium peregrinationis nostræ: *Orate pro nobis:*

Ut eo nos saltẽ sustente-

mur in Via, donec vo-

& nos satiemur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potemur in Patria.

ORATIO.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

CAP. III.

EXERCITIVM
Ante Missam aut Communionem,

Puncta hujus Exercitii varia; ad tria principalia revocari possunt. I. Probatio sui. II. Excitatio Devotionis. III. Postulatio Gratiæ.

PVNCTVM I.

PROBATIO SVI.

I. In primis ergo examina conscientiam tuam, quam si gravioris culpæ ream invenis, pœnitentiæ Sacramento expiabis, ne indignus accedas & judicium tibi manduces. Leviores quoq; culpas & inordinatos animi affectus removere conaberis, ut pleniorem ex hoc Sacramento fructum capias. Deinde concipe intimum de peccatis dolorem, cum firmo emendationis proposito.

O Dul-

O Dulcissime *Deus* Creator ac Salvator meus, doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te Dominum ac Deum meum, te, quem amare debeo super omnia, quia & super omnia bonus es, & plurima mihi bona tribuisti: &, heu, infelix & ingratus ego peccator non retribui, nisi mala pro bonis.

Verum propitius esto peccatis meis Domine, nunc enim firmiter statuo ac propono non amplius te offendere omnesque peccandi occasiones fugere, ideoque nunc hoc Sacramentum sumere cupio, ut in amore tui confirmer, & contra omnes peccādi occasiones muniar, ut tu in me & ego in te maneam.

II. Vide an recta & syncera Intentione ad hæc sacra Mysteria venias, an ex consuetudine tantum, aut alio fine inordinato. Valde autem utilis est Probatio Intentionis, quia Intentio dat speciem actui, & est radix meriti. Intentio autem formari potest juxta quatuor Fines, ad quos ex vi institutionis hoc Sacrificium, adeoque Sacramentum referri debet.

I. Enim est LATREVTICVM,

Seu holocaustum, offerendum Deo, in agnitionem supremi ejus dominii; & tanquam summus cultus supremæ majestati ejus debitus.

O Domine, dignus es propter summam excellentiam, sapientiam,

& potentiam tuam, accipere ab omni Creatura tua laudē, gloriam, & honorē. Itaque confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum n æternu m, immolabo tibi Sacrificium laudis, & reddam tibi, O Altissime, vota mea, &c. Sis benedictus, laudabilis, & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula.

II. Eſt EVCHARISTICVM.

Seu pacificum, offerendum Deo in gratiarum actionem pro innumeris ejus beneficiis.

QVid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? qui toties propitiatur omnibus iniquitatibus meis; & inſuper coronat me in miſericordia & miſerationibus? Qui toties replet in bonis deſiderium meum, & tam benignè providet corpori & animæ meæ? Minor ego cunctis miſerationibus tuis Domine; quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, &c.

Ecce itaque Filius tuus dilectus. Eum tibi, O Pater, offero in gratiarum actionem, quia nihil poſſum melius, nec gratius offerre, quam eum in quo tibi benè complacuit.

III. Eſt PROPITIATORIVM,

Offerendum Deo in propitiationem peccatorum

O Domine, tam amanter invitatus ad

ad splendidum convivium tuum, quid faciam ego miser, nudus, & inops, nec habens vestem nuptialem, & conscius tot peccatorum, quibus iram merui potius, quam gratiam? Ecce Mediator Dei & hominum, Christus Iesus filius tuus. Hunc offero Tibi; ipsum inquam qui peccatum non fecit, sed factus est propitiatio pro peccatis nostris, & lavit nos in sanguine suo, &c.

O Domine, respice in faciem Christi tui, & clementer indulgeas delicta mea, neque vindictam sumas de peccatis meis.

IV. Est IMPETRATORIVM,

Offerendum Deo, ad impetranda Bona Corporis & Animæ, & avertenda quæcunque mala, idque pro nobis metipsis, Amicis, & Inimicis, Justis, & Peccatoribus, Vivis, Defunctis, &c

O Domine, dives in bonis, & largus in donis: à quo, per quem, & in quo sunt omnia. Ego verò egenus & pauper sum. Sed quid non impetremus à te, qui nobis dedisti fontem ipsum omnis gratiæ, id est, Vnigenitum Filium tuum; & simul cum illo omnia nobis bona donasti? In hunc omnes gratiæ, bonitatis, ac sapientiæ thesauros sine mensura congessisti, ut esset dives in omnes

Eum itaque offero tibi,

tibi, ut per eum qui interpellat pro nobis, & exaudiri meretur pro reverentia sua, des Ecclesiæ tuæ incrementum & pacem, Iustis perseverantiam; Peccatoribus veniam, Defunctis refrigerium, nobis omnibus tuam gratiam, & tandem vitam æternam, &c.

V. Quia hoc Mysterium institutum est à Christo, in memoriam Passionis suæ, perutile est, Deoque gratissimum, speciali directione Intentionis illud offerre ob memoriam & venerationem Passionis Dominicæ.

II. PUNCTUM.

EXCITATIO Devotionis.

Accessurus ad hæc tremenda Mysteria, non contentus habituali devotione, actualem omni studio excita. Proderit ad hoc, una cum exercitio nobilissimarum virtutum meditari sequentia: (nam in meditatione exardescit ignis devotionis) nempe: Quis sit qui in hoc sacramento venit, Ad quos veniat; Quare, quomodo, quoties veniat, &c.

I. Exercenda FIDES,

Cogitando quod sit Christus ipse, verus Deus & homo, pro nobis natus passus, & mortuus, verè & realiter hic præsens, &c.

O Christe Iesu, verus Deus & Homo, unius cum Patre substantiæ, ma-

majestatis & potentiæ; firmâ fide credo ac profiteor, quia tu verè ac reipsa præsens es in hoc Sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: *Hoc est corpus meum.* Credo quidquid dixit Dei Filius, nihil hoc verbo veritatis verius Domine adauge fidem meam, &c.

II. Exercenda SPES,

Cogitando quod sit Deus summè clemens, misericors, mitis, sapiens, &c.

O Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deum omnis boni fontem, & gratiæ auctorem, quem in hoc Sacramento præsentem habes: Accede ad eum confidenter, quoniam suavis, & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se. Ille solus dare potest omnia, quia super omnia potens est, imò dare vult omnia, quia summè bonus est.

O spes mea Deus, propter hoc lætatum est cor meum, dum teipsum in hoc Sacramento recipio quia spero planè nihil te non daturum, qui nobis dedisti teipsum, in te Domine confido, non confundas me ab expectatione mea.

III.

III. Exercenda CHARITAS.

Cogitando, quod sit Deus summè bonus, perfectus, liberalis, tam amans nostri, &c.

O Dulcissime Salvator Christe *Jesu*, quanta fuit tui vis amoris, quæ te traxit è sinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, iniurias, imò crucem, mortemque subires: idque solum propter miseros nos homines, & propter nostram salutem.

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti; & demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris hoc Sacramentum nobis reliquisti.

O Deus charitas, qui in charitate manet, in te manet: cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit à charitate Christi Salvatoris mei? utinam hoc, nec vita, nec mors, nec ulla fortunæ sors, aut ulla creatura valeat.

IV. Exercenda HVMILITAS, ET REVERENTIA.

Meditando quod sit Deus summæ majestatis, & tamen è throno gloriæ suæ veniat ad te infimum terræ vermiculum, &c.

O Domine Deus noster, quã admirabile est nomẽ tuum in universa

sa terra! Tu es Rex cœli & terræ, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates.

Sed quid est homo, quod memor es ejus, faciens ei momoriam mirabilium tuorum? aut filius hominis, quoniam visitas eum, in hoc Sacramento ad eum veniens? Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum, &c.

V. Excitanda FAMES, ET Desiderium.

Considerando 1. *Multiplices fructus & gratias hujus Sacramenti: deinde tuas miserias, & necessitates.*

O Panis sancte, o panis cor hominis confirmans, quem qui manducat vivet in æternũ, qui non manducat, vitam non habebit. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria tua Domine, ubi Panem illum dispensas, & das escam timentibus te.

Inclina aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego; & refice esurientẽ animã meã, ut in fortitudine cibi illius ambulẽ per hujus mũdi desertum usque ad montem Dei donec manducem te pleno ore in regno tuo, & satier ab ubertate domus tuæ.

VI.

VI. Denique *Exercitium seu Meditatio Passionis Domini- cæ, inprimis efficax est ad excitandam cordis devotionem, &c.*

III. PUNCTUM.

POSTULATIO GRATIAE.

Quia omnis nostra diligentia, & omnis Præparatio minor est, quam ut tantis mysteriis sufficiens esse queat, merito tandem à Deo gratiam; à B. Virg. Angelo Tutelari, SS. Patronis, & Cœlitibus omnibus, opem subsidiumque supplices postulabimus.

1. *Itaque rogo Deum Filium ut gratiam tibi præstet, dignè suscipiendi hoc Sacramentum.*

O Iesu Salvator mundi, qui venisti peccatores salvos facere: & dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Ecce ego peccator ad te venire audeo, quia copiosa est apud te redemptio.

Venio ad te, à quo recedens erravi, sicut ovis quæ periit; sed tu Pastor bone, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis, qui venisti quærere, & salvum facere, quod perierat, require servum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

Venio ad te multis plagis saucius, tot pravis passionibus graviter affectus, sed tu Domine, si vis, potes me sanare, nosti enim male ha-

habentibus opus esse medico.

Tu verò es ille Samaritanus, verus animarum medicus, qui languores nostros portasti, tu es, qui dedisti in animæ meæ medicamentũ, pretiosi Corporis tui Sacramentum.

Miserere ergo mei Domine, & sana animam meam, quia peccavi tibi, Sacrificium tibi, Domine, spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum non despicies. Hoc prius offero tibi, ut Sacrificium pretiosi Corporis & Sanguinis tui, securius offerre valeam.

Tu itaque dirumpe vincula peccatorum meorum. Sic enim dignè sacrificabo tibi hostiam laudis, & nomen Domini invocabo, &c.

II. *Implora opem Sanctorum, ut tibi gratiam Sanctæ Communionis impetrent à Domino.*

O Sancti Dei omnes, per eum vos rogo, quem vos rogo, quem vos facie ad faciem, nos autem hic per speculum in ænigmate videmus & velatum in hoc Sacramento suscipimus; succurrite mihi quæso precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in Sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre.

Tu præcipuè O sacratissima Virgo Mater, quæ Spiritu sancto cooperante, gratia plena, Deum & hominem purissimis visceribus tuis con-

concipere & portare meruisti, impetra mihi, quæso, gratiã sancti Spiritus, per amorem Filii tui, ut & ego eum dignè in hoc Sacramento excipere & portare valeam, &c.

Adsis O Angele Custos, & clientem tuum pio ductu dirige; ut Panem illum Angelorum, Dominum cœli & terræ, decenter excipiam.

O Patroni N. N mei, Aulici Dei, succurrite, & Domino vestro hospitiũ cordis mei congruenter adornate.

III. *Denique, si, præmissis hujusmodi exercitiis, necdum sentis eum quem desideras; & quem Sacramenti dignitas requirit, affectum, fervorem, & amorem in susceptione hujus Sacramenti; noli dejici animo sed humiliter ora Deum; ut saltem desiderium cordis & bonæ voluntatis affectum suscipiat.*

O Deus scrutator cordis mei cupio sumere, utinam reipsa possim, mirabile & cœleste Sacramentum omni qua par est, pietate & religione, omni affectu, desiderio, & fervore Angelorum, & Electorum tuorum. Domine ante te omne desiderium meum; paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; offero tibi totum cor meum, & omnia. Desiderium pauperis exaudi, O Domine, præparationem cordis ejus audiat auris tua. Suppleat divina & im-

immensa tua benignitas, quic quid humana mea non valet infirmitas, &c.

Cap. IV.

ASPIRATIONES

Sub sacra Communione;

DIligam te Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugiũ meũ, & liberator meus.

Quid est homo, quod memor es ejus aut filius hominis, quia visitas eum?

Quam bonus Isra. ël Deus, his qui recto sunt corde!

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi ejus.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. &c.

Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.

Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?

Vnde hoc mihi ut Dominus meus veniat ad me?

Quis es tu Domine, quis sum ego?

Tune venis ad me Rex summus, ad infimum servum? &c.

Tu, qui de sinu Patris, ve[illegible]i in purissimum Virginis uterum, intrabis in hoc vas impurum, & stabulum sordium?

Scio,

Scio, Domine; amor urget & vincit te. Eja veni Domine, & noli tardare. Sed veniat, obsecro, tecum illa multum de-siderabilis bonitas, mansuetudo, charitas, & misericordia tua, per quam excusetur, & juvetur miseria mea.

CAP. V.

EXERCITIVM
Post Missam aut Communionem.

Pro Sacerdotibus & Laicis.

PEracta Missa aut Communione, pertagni refert, nosse uti illo tempore, quo apud nos demoratur Christus, & tanti hospitis præsentia frui. Neque enim tempus, ad negotia salutis agenda, magis opportunum habere possumus, quam cum ipsum, penes & intra nos habemus salutis Auctorem.

I. PUNCTUM.

GRATIARVM ACTIO.

O Clementissime Salvator, Christe Iesu; quam suavis es & mitis, & multæ misericordiæ, omnibus invocantibus te?

Vnde hoc mihi, ut tu Domine venias ad me, à quo abire poteras, quia homo peccator sum? quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum? O Deus, O Dominus noster, quam admirabile est no-

nomen tuum in universa terra?

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? utinam aperiantur labia mea, & repleatur os meum laude, ut cãtem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuã; & enarrem universa mirabilia tua.

Magnificet anima mea Dominum, tot tantisque affecta beneficiis, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem servi sui, & fecit mihi magna qui potens est, & esurientem implevit bonis.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sũt Nomini sancto ejus, noli obliviſci omnes retributiones ejus; Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat, per hujus Sacramenti virtutem, omnes infirmitates tuas, &c.

Sed Magnus es Domine & laudabilis nimis; Et quis narrabit potentias tuas, auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, & omnes vitæ meæ respirationes in tui laudes & gratiarum actiones; attamen longè minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes Creaturæ tuæ, mecum & pro me laudent & benedicant nomen tuum in æternum.

Sed ante omnia, ô clementissime Deus, accipe laudes & gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noster in assumpta humanitate ab instanti Incarnationis toto vitæ suæ decursu persolvit. Et illas præcipuè, cum instituens hoc Sacramentum, & quasi jam tum agnoscens; impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe O mitissime Pater, & illas gratiarum actiones, quas B. V. Unigeniti Filii tui Mater, tibi obtulit, quando eum quem ego ipse jam inclusum pectori meo cõplector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, portavit, & peperit; Nec non & illas, quas toto vitæ suæ tempore, & potissimum, quoties jam sublatum in cœlos, in Sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio & intima devotione persolvit.

Benedicant quoque, & laudent te omnes Angelici Spiritus, qui throno Majestatis tuæ jugiter trementes adstant, & cantant incessabili voce, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes Sancti & amici tui, tecum modo regnantes in cœlis, quorum communionem credimus, meã in-

insufficientiam cõpensent suis dignissimis laudibus, quas unquam hic in terris, in usu, & veneratione hujus Sacramenti devotissimè obtulerunt; & quas tibi modò cantant, cum revelata facie comedunt Panem vitæ, & torrente voluptatis tuæ potantur. Participem me fac Deus omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Outinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, & omnia tibi in terris placentium vota, desideria & merita in me unum colligere possem; & sic tota animi intensione te amare & honorare, pro tanto amore & honore, quo me in hoc Sacramento dignatus es

Profiteor enim, si quotquot in mundo fuerunt, sunt, aut erunt devotorum, qui debita cum præparatione, devotione & fructu divinissimum hoc Sacramentum unquam acceperunt, vel accipient: Si inquam, eorum omnium conatus, desideria, & grati piique affectus in me unum concurrerent, libens sanè & ultrò omnia prorsus in laudem & gloriam Nominis tui, & debitam gratiarum actionem cõverterem. Et tamen (ingenuè fateor, O Domine) nihilominus servus inutilis essem, nec condignè te laudare possem; quia major es omni laude. Sed

parce mihi Domine, quia inops & pauper sum ego, & saltē desiderium pauperis, seu obsequium bonæ voluntatis non despicias.

II. PUNCTUM.

OBLATIO.

1. *Offer Deo Patri Filium, una cum omni ejus meritorum thesauro.*

O Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis, quomodo dilexisti nos! Ita nimirum, ut Filium tuum Vnigenitum dares; semel quidem in pretium, sed indies in cibum. Quid tibi pro tanta charitate vilis ego creatura retribuam? Hoc ipsum, quo tu nihil dignius dare poteras; ego nihil majus accipere. Ipsum inquā, dilectissimum Filium tuum offero tibi, mi Pater, quem pro salute mea tam amāter obtulisti; & in hoc (*Sacrificio*) Sacramento, quod pro jugi illius beneficii memoria celebramus, tam gratiosè (*offerendum*) sumendum dedisti.

Quem potius tibi offeram, O Pater æterne, quàm Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit? Quem alium dirigam intercessorem tibi ego reus, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis meis? Agnus sine macula, qui peccatum non fecit; sed tulit

tulit peccata mundi, & languores nostros suo livore sanavit?

Ecce spes mea; tota fiducia mea, Christus Iesus Filius tuus Salvator meus. Noli, quæso, despicere hanc oblationem, quamvis id meretur offerentis vilitas; sed aspice, precor, propitius, quia in infinitum major est oblati dignitas.

Attende in Filio, quod te moveat misereri servo; & dum dilecti Filii tibi patent vulnera, mea quæso tegantur scelera: & quia caro mea te lacessivit ad iram, caro Filii tui te flectat ad misericordiam.

Suscipe igitur, O sancte Pater, omnipotens, æterne Deus sanctam hanc & immaculatam hostiam Filii tui, quam ego indignus famulus tuus tibi offero, una cum omnibus ejus virtutibus, meritis, vulneribus, cruciatibus, plagis, suspiriis sacri sudoris ac cruoris guttis.

In unione illius amoris, quo ipse tibi in Ara crucis semetipsum obtulit, in laudem & gloriam nominis tui, in gratiarum actione pro omnibus beneficiis tuis in me, & in totum genus humanũ collatis: in expiationem quoque peccatorum meorum; in suppletionem omnium defectuum meorum: in solatium & refrigerium omnium fidelium vivorum, & defunctorum &c. Per eundem, quem hic offero, Dominum nostrum Iesum

sum Christum filium tuum, &c.

II. *Offer teipsú Christo, qui se tibi tã amãter offerre dignatus est.*

O amantissime Salvator, quam magna est misericordia tua super me! qui temetipsum nunc mihi in cibum dedisti.

Quid retribuam Domino, cum inops & pauper sim ego, pro omnibus quæ retribuit mihi? Visne ut præbeam tibi cor meum? Nihil æquius.

Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum. Ecce animã simul & corpus meum. Accipe me totũ, qui me totum fecisti & cum totus perieram, pro me totum te dedisti.

Verùm quæ commutatio, si pro te reddam me? nempe pro Domino servum? pro Deo hominem? pro Sancto & justo impium? pro Agno immaculato sordidum peccatorem? &c.

Sed tu Domine qui dignum habuisti me, pro quo dares, non alium, quàm te; nunc quoque, suppliciter rogo, ne avertas faciem tuam à me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Suscipe servum tuum in bonum; qui accepisti pro me formam servi. Suscipe hominem, qui pro me factus es homo. Suscipe peccatorem qui venisti peccatores salvos facere. Require ovem perditam, qui venisti quærere, & salvũ facere quod perierat. Am.

III.

III. Punctum

PETITIO

1. *Ne dubites, hic avidè & instanter multa petere, tibi ipsi, & proximis. Thesaurum infinitum opum cœlestium hic habes. Pete, quantum vis, Aviditas petentis liberalitatem donantis provocat. Inprimis humiliter pete veniam peccatorum præteritorum, negligentiæ quoque, & defectuum, quos in usu hujus Sacramenti admisisti.*

O Clementissime Salvator, Ego vitiis pravisque passionibus coinquinatus sum, & ideò ad te confugi: quis enim alius mũdum faciet de immũdo conceptum semine, nisi tu Domine, qui lavisti nos à peccatis nostris in sanguine tuo? Quæso lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Ecce, qua fiducia ad te veni, O Christe Salvator, quamvis sim homo peccator. Sed tu parce mihi per infinitam misericordiam tuam, si non ea, quæ parerat cura, præparatione, ac devotione tremendum hoc peregi mysterium.

Memorare Domine quæ mea substantia spiritus quidem promptus est caro autem infirma, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est

absconditus.

11 *Quia jam tecum habes Deum & Salvatorem tuum. Potentissimum simul ac Optimum, id est, qui & possit, & velit tibi donare omnia ad salutem utilia, ideo magna fiducia effunde in conspectu ejus cor tuum, & tribulationem tuam ante ipsum pronuncia, & opem gratiæ in necessitatibus postula.*

O benignissime Deus, cupio ex toto corde tibi servire deinceps in justitia & sanctitate, omnibus diebus vitæ meæ.

Verum O Domine, velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio, quia in membris meis invenio aliam legem repugnantē legi mentis meæ, ut non quod volo bonum, hoc faciam. Ad te itaque, O Domine levavi oculos meos.

Tu respice precor oculis misericordiæ tuæ infirmitatem meam: nam sine te nihil boni facere possumus, ex te autem est omnis sufficientia nostra. Tui itaque deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Eripe me de inimicis meis Domine, qui parati in conspectu meo mensam (cujus nunc ex gratia tua factus sum particeps) adversus eos qui tribulant me.

O scrutatur cordis mei, vides, quam sim fragilis & pronus ad hoc, N vel illud N. vitium: ego quidem lapsum cavere propono; sed tamen.

men labor, nisi tu manum supponas. Adjuva ergo, O Domine, infirmitatem meam gratia tua.

III *Virtutes Christiano homine, & tuo potissimum statu, seu vocatione dignas expende. Ad easque speciale auxilium gratiæ, per virtutem hujus Sacramenti, pete*

O Christe Iesu, mitis & humilis corde, da mihi, ut non sit exaltatum cor meum, neque elati sint oculi mei, ut nõ altum sapiam, sed timeam.

O mi Domine, qui cum dives esses, pauperis servi formam accepisti. Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in avaritiam, ut habens victum & amictum, his contentus sim, &c.

O Agne immaculate, qui de Virgine nasci voluisti, da mihi puritatem mentis & corporis per illud quod hic nobis das, *Vinum* germinans virgines. Cor mundum crea in me Deus, &c.

O Christe Iesu, qui ut agnus innocens ductus es ad victimam, tot injurias & opprobria passus es, da mihi spiritum patientiæ & mansuetudinis.

O Christe Salvator, qui sitiens aceto & felle potatus es; Da ut tibi Deo meo serviam, non ventri, aut voluptati.

O Domine, qui in horto cum sudore sanguinis prolixè & ferventissimè orasti, fac ut laudem te ex toto corde, ne dormitet anima mea

præ tædio in tuo cultu ac servitio.

O Domine, qui ex vera charitate pro inimicis tuis orasti, fac ut diligam proximum sicut me ipsum, & benefaciam his, qui oderunt me, &c.

O Domine, quia tam dignanter venisti ad me, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, tu qui aperis manũ tuam, & imples omne animal benedictione.

O utinam accipiam benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari meo, quatenus eam de virtute in virtutem, donec clarè re videam Deum Deorum in Sion, quem nunc in Sacramento velatũ, & per speculum in ænigmate video!

IV. *Pete quoque proximis tuis, his præsertim quos habes singulariter commendatos, hujus Sacrificii aut Sacramenti fructum applicari.*

O Domine, cujus viscera misericordiæ patent omnibus qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subisti, & hoc Sacramentum instituisti: salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te:

Subveni, quæso, famulis tuis, quos pretioso sanguine tuo redemisti. Mitte eis Domine auxilium de Sancto, & de Sion tuere eos.

Miserere parentum, fratrum, amicorum

corum, benefactorumque meorum, & NN. Communica iis meritum pretiosi sanguinis tui, in salutem nostram effusi; ut ope gratiæ tuæ sic vitam præsentem instituant, ut tandem in cœlis æternæ vitæ præmia recipiant. *Adde hic etiam defunctos*, &c.

V. *Per manus & merita beatissimæ Virginis* Mariæ *pete commendari Deo Sacrificium aut Communionem tuam.*

O dulcissima Virgo Mater, quæ eundem Dominum, quem ego modo suscepi, de Spiritu Sancto conceptum, in sacratissimo utero tuo portare meruisti intercede pro me apud eundem Filium tuum, omnisque negligentiæ, & indignitatis, in summi hujus Sacramenti sumptione commissæ veniam mihi impetres.

VI *Sanctorum, & inprimis Patronorum, ope ac intercessione fructum hujus Sacrificii, aut Communionis a Deo pete.*

O Sancti Dei omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruistis ad portum felicitatis æternæ, qui in carne viventes, sic Domino servistis, ut jam cum ipso sine fine regneris.

Obsecro vos per vestram charitatem, quia securi estis de vobis, solliciti estote pro nobis. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui nunc replet in bonis omne desiderium ve-

strum, estote memores nostri, qui adhuc in mediis naufragii periculis versamur.

Subvenite mihi misero peccatori, qui ad portum quietis; quem vos feliciter attigistis, aspiro, ut per vestras orationes vestro tandē jungar consortio.

Sed interim, dum hæreo in via, opus mihi iatico est, ut non deficiam in via. Viaticum nostrum est Christus ipse Salvator, quo vos satiamini in patria, nos sustentamur in via, donec veniat tempus, quo vobiscum satiemur & nos abundantate domus Dei.

Adeste mihi, quæso, precibus meritisque vestris, ut panis ille cœlestis, & viaticum divinū, quod modò sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula & insidias præstet robur & tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, & ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam; & Deum unà vobiscū laudem per omnia secula, Amen.

CAP. VI.

EXERCITIVM

Peculiare

Pro Sacerdotibus ante Missam.

O Summa & adoranda Trinitas, una, vera, & æterna Deitas, Deus, Crea-

Creator, Salvator, & Gubernator meus; summè potens, sapiens, bonus, justus & misericors; ego creatura tua, quamvis indigna, te laudare, & tibi servire desidero; quia ad laudandum te creatum, & singulari gratia tua vocatum me recognosco. Sed quis tu? Deus ac Dominus omnium; Rex cœli & terræ; magnus & laudabilis nimis: ego verò vilis terræ vermiculus, pulvis & cinis, &, quod indignius, toties erga te inobediens, & ingratus peccator: & quomodo ausim venire ad sacrificandum tibi, & confitendum nomini tuo, Domine?

Verùm sacrificium tibi gratum est, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nõ despicies, Doleo itaque ex toto corde, quod unquam offendi te, O Deus meus, & summum bonum meum. Averte quæso faciem tuã à peccatis meis: & respice in faciem Christi Filii tui unigeniti: hic est enim dilectus, in quo tibi bene complacuit; quem tantis gratiæ donis tam largè cumulasti, ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus.

Ego itaque licet indignus peccator, attamen, per gratiam tuam Sacerdos & servus tuus, offero Tibi, O summe Deus, Sacrificium Corporis & sanguinis Domini mei Jesu Christi: idque facere summopere

desidero, ex omni affectu, fervore, & desiderio, quo illud unquam obtulerunt Sancti tecum nunc gaudentes in cœlo, aut offerunt pii etiamnum viventes in terra.

In unione quoque immensæ illius charitatis, qua sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum nobis dares: In unione amoris, quo *Ipse* de sinu tuo venit, in uterum Virginis, & *Homo factus* est. In unione sacrificii admirabilis, quod idem Vnigenitus tuus, in ultima Cœna, coram Discipulis suis instituit, & tandem in Cruce moriens consummavit.

Et simul offero tibi pretium Sanguinis ejus, cunctosque labores, dolores, & omnem thesaurum charitatis ejus: Merita quoque beatissimæ Matris ejus: omnem fidem, spem, & charitatem Iustorum: omnem humilitatem, & mortificationem verè Pœnitentium: omnes gratiarum actiones, & laudes, quas tibi universa Ecclesia, tum Militans in terris, tum Triũphans in gloria persolvit.

Et primò quidem illud offero ad summam divinæ & æternæ Majestatis tuæ gloriam, cultum & adorationem, tibi velut supremo Deo, Domino, ac rerum omnium auctori debitam. In honorem quoque & commemorationem sacratissimæ Humanita-

tatis, Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi.

Deinde offero tibi hoc Sacrificium in Gratiarum actionem, pro tam admirandis donis, & charismatis sanctissimæ humanitati Filii tui Iesu Christi collatis: Et pro pietate illa magna nimis! qua illum nobis in Patrem ac Magistrũ, Advocatum, ac Mediatorem dedisti: Pro innumeris gratiæ donis, & virturibus, quibus ornasti beatissimam Virginem, Filii tui Matrem, sanctos Angelos, & omnes Electos tuos; & inter cæteros Sanctum N. vel SS. quorum hodie festum seu memoriam celebrat Ecclesia: Item, pro omnibus beneficiis tuis & auxiliis gratiæ, toti congregationi Fidelium tuorum, in genere vel in specie collatis; & iis maximè, quibus prædestinatos prævenis, & prosequeris, eosque efficaciter in finem suum dirigis.

Peculiares quoq; gratias, per hanc gratissimam oblationem Filii tui ago tibi, pro omnibus beneficiis tuis; mihi à principio vitę meę in hanc usque horam tam liberaliter præstitis; præcipuè verò, quod me indignum peccatorem nullo meo merito, solo beneplácito bonitatis tuæ, ad hoc officium Sacerdotale, ipsis etiam Angelis venerabile, ad hæc,

hæc, inquam, sacrosancta Mysteria Corporis & Sanguinis Filii tui tractanda ac dispensanda, inter ministros tuos assumere dignatus fueris, ad laudem & gloriam nominis tui & ad fidelis populi salutem.

Præterea, quia Filius tuus est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi: offero etiam tibi, O summe Deus, hoc sacrificium, in expiationem peccatorum, & satisfactionem, pro injuriis, contumeliis; blasphemiis, & peccatis omnibus, quæ passim in toto mundo fiunt, contra gloriam Nominis tui, heu, quàm multa & gravia! sed major est apud te misericordia; & copiosa apud Filium tuum redemptio; imò copiosior omnibus mundi criminibus satisfactio ejus: En sanguis Filii tui clamat ad te de terra; utique non vindictam, sed veniam. Parce Domine, parce populo tuo, quem redemit Filius tuus sanguine suo.

Denique quia in hoc mysterio, ipsum omnis gratiæ fontem, & totius nostræ salutis auctorem tractamus, offero tibi hoc sacrificium Filii tui, ut per ejus Sanguinem & Nomen petentes impetremus, quod nostris meritis non valemus.

Propter hunc itaque respice Ecclesiam sponsam ejus, eamque tibi sine macula & ruga speciosam

sam exhibe; fidem, spem, charitatem ei adauge; Perfecutorum & hostium ejus contere superbiam. Hæreses & sectas extermina. Populis à fide alienis veritatis tuæ lucem infunde; eosque adduc in ovile tuum; ne pereant tot animæ, ad imaginem tuã creatæ, & sanguine Filii tui redemptæ.

Provide Ecclesiæ tuæ Præsules & Pastores fideles; seu operarios strenuos, & irreprehẽsibiles, qui solicitè vigilent in custodia gregis sibi commissi, & exemplo Filii tui, summi Pastoris, etiam non dubitent animas suas ponere pro ovibus suis.

Da universis, quos in Clerum & Religiosæ vitæ statum vocare dignatus es, morum ac vitæ sanctimoniam; zelum pro honore tuo, & proximorum salute, in eis accende, ut fideles inveniantur ministri tui, & dispensatores mysteriorum Dei.

Supplico tibi etiã, O Rex Regum, pro Regibus, Principibus, & Magistratibus Christianis; ut des eis pacem & concordiam, zelum & amorem justitiæ, fidelem subditorum curam; in fide, & Ecclesia tuenda constantiam.

Respice propitius super omnes cõgregationes illis commissas; & ŏmnia membra Ecclesiæ & Politiæ clemẽs prorege; ut qua quisque vocatione vocatus est, in ea tibi dignè,

& laudabiliter serviat. Da Iustis perseverantiam; Proficientibus fervorem; sed præcipuè peccatoribus pœnitentiam. Tu enim non delectaris in perditione morientium, sed ut mortui vivérent, Filium tuum mori voluisti. Trahe ergo ad te peccatores funiculis charitatis tuæ; nec enim venire poterunt, nisi charitas tua traxerit illos.

Exaudi O clemẽs eorum præcipue vota & desideria, quorum mihi cura singulariter incumbit: velut parentum, cognatorum, amicorum, benefactorum, & inprimis eorum, quorum animæ mihi commendatæ sunt; & de quibus aliquando rationem exiges à me. Dirige omnes, quæso, in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant.

Intuere omnes tentatos, ægros, in angustiis & periculis positos, esto benignus consolator afflictorum, & Pater pupillorum, clemẽs quoque Iudex Viduarum; & Protector omnium Fidelium Christianorũ, quia ad te sunt oculi omnium, donec miserearis eorum. Inimicis quoque nostris parce Domine; fac ut amentẽ te super omnia; proximos propter te.

Respice quoque ad animas in Purgatorio detentas (N. & N. quibus tu scis me magis obli-

ga-

gatum.) sit illis pleum refrigerium, per hoc magnum salutis nostræ pretium; id est, sanguine Filii tui, cujus una guttula cuncta totius mundi sufficiens est expiare delicta.

Ecce Domine, quia voluisti me fungi Sacerdotio, pro his omnibus legatione fungor apud te: omnes à me exspectant elevationem manuum mearum, sacrificiũ hoc incruentum; Vtinã dirigatur, sicut incensum in conspectu tuo.

Verum O Domine, quia sum ipse circumdatus infirmitate; quomodo laudabo te, cum non sit specioſa laus in ore peccatoris? aut quomodo pro alienis peccatis intercessor veniam, qui de propriis non sum securus? Ecce itaque unicus Advocatus, & Mediator noster, qui & condignè laudet te, & interpellet pro nobis Filius tuus. Ille enim nobis Sacerdos, & hostia, offerens & oblatio. Ille Agnus innocens, in quo macula non est, nec dolus inventus est in ore ejus. Ille clamans ad te, meretur exaudiri, pro reverentia sua. Ille infinitum tibi thesaurum & pretium exhibet, pro votis, necessitatibus, angustiis, & periculis omnium, pro quibus ipse tibi factus est obediens usque ad mortem, & velut Pastor bonus posuit animam suam.

Per

Per eum itaque da & mihi, ut hunc Statum, ad quem me vocare dignatus es, virtutibus illi debitis ac necessariis, velut charitate, zelo, castitate, mansuetudine, humilitate, &c diligenter excolam. Tu me fac qualem me tibi vis habere ministrum; Iuva Domine, & quod vis, jube. Quis enim mundum ex immundo faciet? nonne tu, qui ex nihilo facis omnia?

Ideoque rogo te Domine ex intimo corde meo, ut per virtutem Corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, jungas, & incorpores me illi intimè, ut unus cum ipso efficiar spiritus, ut ille in me, & ego in ipso maneam; nec quicquam sit, quod me nunc, aut in æternũ separare queat à charitate, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Amen.

CAP. VII.

De modo piè audiendi Missam.

EXERCITIUM I.

FORMANDI INTENTIONEM ANte Sacrum audiendum.

SVscipe S. Trinitas unus *Deus* hoc sacrosanctũ Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini nostri *Jesu* Christi, quod ego indignus servulus tuus una cum sacrificiis omnibus tibi unquam

quam oblatis aut offerendis, unitum sanctissimo Sacrificio ab eodem Domino nostro in ultima cœna & ara crucis oblato, per manus Sacerdotis offero divinæ majestati tuæ, omni possibili pietatis affectu, ex puro amore tuæ infinitæ bonitatis, secundum sanctissimam ejusdem Domini nostri & S. matris Ecclesiæ intentionem.

1. Ad maximam æternamque divinæ majestatis tuæ gloriam, amorem, beneplacitum.

2. In protestationem supremæ excellentiæ & dominii tui, & nostræ subjectionis & dependentiæ à te.

3. In perpetuam commemorationem passionis ac mortis ejusdem Domini nostri.

4. In honorem augmentumque gloriæ B. Virginis, totiusque curiæ triumphantis.

5. In gratiarum actionem æternam pro omnibus beneficiis Sanctissimæ humanitatis Domini nostri, B. Virgini matri ejus, patronis meis, omnibus beatis & prædestinatis, & mihi indignissimo hucusque collatis, & conferendis in æternum.

6. In satisfactionem peccatorum meorum, omniumque fidelium vivorum & defunctorum.

7. Singulariter offero pro his NN. vel pro hac gratia obtinenda. Secundario pro his NN. mihi pecu-

peculiariter commendaris, omnibusque pro quibus orare soleo & teneor, ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam te agnoscendi, amandi, glorificandi nunc perfectè in via, olim beatè in patria. Suscipe & perfice hoc desiderium meum, uberemque ad pié id complendum gratiam & benedictionem largire. Amen.

* * *

EXERCITIVM II.

INterim dum expectatur Sacerdos, induens, & præparans se ad sacrificium, recordare, O anima mea, quanto desiderio adventum Messiæ in carnem venturi Patres olim, expectaverint.

O Pater æterne, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum Vnigenitum dares, pro redemptione nostra; quid pro tanto munere & amore retribuam tibi? Ecce ipsum Filium tuum unigenitum; quo nihil tibi charius, nihil nobis pretiosius.

O quot suspiriis, quam ardentibus votis desideratus ipse fuit cunctis gentibus! donec tandem missus à te formam servi accepit, & mortali carnis nostræ tunica indutus, majestatem Deitatis obtexit; deque Virginis utero in mundum prodiit: & tibi

bi factus obediens, usque ad mortem, nos ab æterna morte redemit.

Ecce Domine tam immensæ, tuæ charitatis opus in hoc Missæ sacrificio, in tuam *Gloriam*, & Filii tui *Memoriam* recolere cupio. Tu quæso Domine posside ac rege cor meum gratia tua, ut piè religiosè ac decenter id faciam, ut placeat tibi hoc obsequium meum, & prosit animæ meæ.

Subjungi posset hic, & sequentibus articulis, omnibus aut aliquibus, pro opportunitate & arbitrio cujuslibet, sequens.

ASPIRATIO AD CHRISTVM,

Quæ Exercitium nobilissimarum virtutum continet.

O Domine quãta feciſti, & qualia paſſus es, ex vi immenſi amoris tui erga me! Sed quid ego retribui? aut quid retribuam?

Doleo ex intimo corde meo, quod unquam offenderim te qui tantopere dilexisti me.

Credo in te viva fide, O æterna *veritas*; quia tu ipse es Deus & homo; Dominus & Salvator meus;

Spero in te Domine, O unica ſpes, & vera ſalus animæ meæ.

Amo te quoque ſuper omnia, ex toto corde meo, O ſummum *Bonum* meum, utinã abſorbeat

beat me ardentissima vis amoris tui, ut nihil unquam separet me à charitate Christi Iesu Salvaris mei. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram.

III. AD CONFESSIONEM,

Quam Sacerdos ad pedem altaris humiliter inclinatus, inter Ministros facit.

Aspice ut Christus, assumptis Discipulis, & totius mundi peccatis, onustus ad montem Oliveti, procidens in faciem suam oret, & ob passionis & mortis imminentis angorem, sed magis peccatorum nostrorum horrorem fiat sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Et ego ulterius offendere te potero peccatis meis? Odulcissime Domine? qui tanta feci sti, & talia passus es, &c. *ut supra.*

IV. AD OSCVLVM ALTARIS, & Introitum Missæ,

Vide ut Christus, velut Agnus mansuetus ad benedicti oris sui osculum admittat impium proditorem & sic amoris signo hostibus introeuntibus in hortum tradatur.

Et ego pro vana creatura, tradam aut deseram Te, mitissime Domine, qui tam charum habuisti me, ut pro me de manibus hostium liberando, in manus impiorum tradi voluerit?

V.

V. AD KYRIE ELEISON,

Ideſt, Domine miſerere: *Quod ternis vicibus repetitur*, Cõſidera *Petrum*, *qui poſt tam ſpecioſa promiſſa conſtantiæ & fidelitatis, Dominum ſuum ter abnegavit: nec reſipuit, niſi poſtquam miſericors Dominus eum reſpexit.*

Heu miſericordiſſime Ieſu, quàm & ego inconſtans & lubricus fui in bonis propoſitis! quoties & ego immemor promiſſi, cum Petro negavi te Domine! At quam rarò lachrymis veri doloris deflevi peccata mea: O ſi & hoc cum Petro valeam; & deinceps in bono perſeverans exhilarem Angelos, & unà cum illis cantem tibi:

GLoria in excelſis Deo, & in terra paxhominibus bonæ voluntatis, Laudamus te, Benedicimus te, adoramus te, glorificamus te.

Gratias agimus tibi propter magnã gloriam tuam. Domine Deus Rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens. Domini Fili unigenite, Ieſu Chriſte.

Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram: qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis.

Quoniam tu ſolus Sanctus. Tu ſolus Dominus. Tu ſolus

lus Altissimus, Iesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

VI. AD COLLECTAM, Epistolam & Graduale.

Cogita collectas populi adversus Christum accusationes, consilium in domo Caiphæ variasque, quas hic passus est injurias, sputa, alapas, & illusiones. O mansuetissime Domine, quanta fecisti, &c. *ut supra.*

VII AD EVANGELIVM,

Quod à dextera ad levam transiens Sacerdos legit.

Aspice ut Christus à Caipha ad Pilatum transeat; examinetur ab impiis de doctrina & Discipulis; accusetur ob prædicatum Evangelium, ideoque multis injuriis & contumeliis afficiatur.

O Sapientissime Domine, de cœlo venisti Magister, ut viam Dei in veritate doceres, & nos à terris in cœlum duceres. Vt verò perfectius impleres munus tuum, prius cœpisti facere, quam docere. Et tamen calumniam pateris! mera erat in verbis tuis veritas; in factis probitas; in omni conversatione syn. ceritas; (quis enim poterat arguere te de peccato?) Et nihilominus tu Dominus, Magister, & Iudex omnium, ab impiis & iniquis judicari & reprobari sustines!

Yti-

Vtinam ego corde bono & fertili suscipiam semẽ verbi seu Evangelii tui, & fructum multum adferam in patientia.

VIII. AD OBLATIONEM.

Cogita O anima mea, quomodo Christus à Pilato ad Herodem, ab hoc rursus ad illũ mittitur; ubique illuditur, contemnitur, & reprobatur.

O speciose præ filiis hominum, O desiderium, & exspectatio Gentium, Tu ne fis modo opprobriũ hominũ, & abjectio plebis, in quẽ desiderant Angeli prospicere: in quo Aeternus Pater sibi benè cõplacuit! oblatus es, quia ipse voluisti pro nobis, & heu, sic despiceris! Ecce Domine, ego me totum offero tibi ne quæso despicias me, qui te totum dignatus es offerre pro me.

IX. AD LOTIONEM MANVVM & Orate fratres.

Cogita Christum innocentem à Pilato lotione manuum declarari, exhiberi populo; sed à rabiosis illis canibus mortis reum clamari, & latrone Barabba pejorem aesti-

mari.

O quoties & ego creaturam perverso affectu præposui Deo creatori meo! O innocentissime Domine quanta feci sti, &c. *ut supra.*

X. AD PRAEFATIONEM.

Expende vehementem Christi dolorem, & cruciatum animi, cum ingens illud odium, & extremam Judæorum rabiem videret, quadum Pilatus ejus dimissionem omnibus modis quæreret, ab impiis ad crucem mortemque postulabatur, &c.

Nonne tu es Domine, cui paucis ante diebus ingredienti urbem, applauserant omnes, canentes, Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini? Nonne tu es, cui canunt Angeli, Sanctus, Sanctus, Sanctus? heu tristis & subita catastrophe! scilicet, discam àte Domine, favoribus humanis inniti; Confidere in filiis hominum, in quibus non est salus: Quin tibi soli adhærere mihi bonum est, & ponere in te Domine spem meam, &c. O patientissime Domine, quanta feci, sti, &c. *ut suprà.*

XI. AD CANONEM.

Aspice ut Christus ab impiis ministris, crudeliter nimis flagellatur, spinis coronatur, à Pilato traditur crucifigendus, mox gravi ligno crucis onustus, multo labore scandit montem Calvariæ, &c.

Heu Domine, quoniam te deduxit grandis mea iniquitas, & immensa tua charitas! Flagella iracundiæ tuæ ego me-

merueram: & tu innocens pro me flagellaris! AEterna me crux manebat; tu eam derivas in humeros tuos. Verè dolores nostros tu tulisti Domine, & languores nostros ipse portasti! &c. O clementissime Domine, quanta fecisti, &c. *ut supra.*

XII. AD ELEVATIONEM.

Cogita Christum elevari in crucem, & coram omni populo conspicuum & nudum exponi.

O Christe Iesu, adoro Te, qui exaltatus es à terra, ut omnia trahas ad teipsũ. Video enim te extensis in cruce brachiis, quasi nos amplecti cupientem, & clamantem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego recipiam & reficiam vos.

O Domine, si segnius ego ad te venio, trahe me, Iesu, funiculis charitatis tuæ, quam moriens in cruce monstrasti. Scire, & quærere Iesum, & hunc crucifixum, sit mihi summa & sola voluptas. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, &c.

O *Pater* æterne, ecce hic est Filius tuus dilectus, in quo tibi bene complacuit; Respice in faciem Christi tui, & averte faciem tuam à peccatis meis; propter quæ Vnigenitus tuus humiliavit semetipsum, Tibi factus obediẽs, usq;

ad mortem *Crucis*. Ecce hic est Advocatus noster, apud te, & propitiatio pro peccatis nostris. Ipse enim peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum: & livore ejus sanati sumus.

Percutio itaque cum Publicano, ex intimo dolore cor meum tantis peccatis obnoxium; quę sola ad tanta supplicia traxerunt Unigenitum tuum. Per hunc ergo propitius sis mihi peccatori.

Ecce vox sanguinis Filii tui clamat ad te de terra, non vindictam, sed veniam. Passio & mors ejus sint mihi precor in remedium & remissionem peccatorum meorum Pœnæ, & vulnera Corporis ejus, medela fiant animæ meæ, &c.

XIII. AD ORATIONEM Dominicam,

Quæ septem petitionibus constat. Cogita, O anima mea, septem ultima & sanctissima Verba, quæ Christus in cruce protulit.

I. *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.*

ODa mihi Domine, ut te Patrem omnium nostrum colam, amem, timeam; & proximum meum propter te, verâ & syncerâ dilectione complectar. Sicuti tu docuisti nos exemplo tuo,

tuo, pendens in Cruce, & pro inimicis moriens & orans, *Pater ignosce illis.* O mirus & rarus amor! O si imitemur, qui Christi nomen profitemur! Nemo sanè magis honorat nomen tuum, O Christe; aut luculentius se discipulum tuum, id est, Christianum probat, quam qui exemplo & amore tui, etiam inimicos diligere didicit.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Illud, inquam, cujus consortium Latroni in Cruce promisisti, dicens, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Vtinam vocem illam suavissimam audire merear in hora mortis meæ. Da mihi Domine Fidem, Spem, & Pænitentiam Latronis; & ab auditione mala non timebit cor meum.

3. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.*

Vis nempe O Iesu etiam charissimos tuos consortes esse crucis tuæ; imò vis hoc signum esse, & indicium amoris tui. Ecce in dulcissima Matre tua, & Discipulo, quem diligebas, id agnoscere licet. Testes erant & spectatores crucifixionis tuæ: sed heu, quo cruciatu cordis sui?

Nempe ut hic doloris gladius tam dilectas animas; etiam charissimæ Matris perfoderet, id tuę voluntatis erat: Sed & hoc quoque; ut solatium non deesset afflictis.

Vnde dicebas: *Mater, ecce Filius tuus*, & ad Discipulum: *Ecce Mater tua*. Impar quidem commutatio, ut pro Filio Dei, Mater reciperet Filium Zebedæi, &c. Sed quia hæc fuit voluntas tua, acquievit & Mater.

O Domine, Ecce tuus sum ego: vis me socium passionis tuæ? paratum cor meum Deus: Vis etiam consolationis? paratum cor meum. Fiat in me omnis voluntas tua. Nam quod in cœlis, id est, Electis tuis, & tibi amantissimis fieri voluisti, cur ergo detrectem? Placere tibi in omnibus cupio & parere per omnia; sed adde gratiam. Pati tecum non recuso: sed auge patientiam.

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Si enim tu Domine, non reficias me, utique citò deficiam Domine qui pascis me à juventute mea, usque in senectam & senium, & cum defecerit virtus mea ne derelinquas me, Memento quia causa mei clamasti ad Patrem, quasi derelictus in angustiis, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ad te sunt oculi omnium, & tu das illis escam & robur in tempore oportuno. Ego quoque clamo ad te in fame & angustia mea. Si tu me despicis, quis respiciet? Si me deseris, quis recipiet? Si me repellis, quis reficiet?

5. *Et dimitte nobis debita nostra.*

Quia

Quia ideò tam copiosè profudisti sanguinem tuum, ut copiosa nobis esset redemptio, & pretio tam magno exsolveres debita nostra, quæ nemo solvere poterat, nisi tu. O amor, O desiderium salutis nostræ! Vnde languens amore, totusque jam exanguis & arens in cruce clamas, *Sitio*, sed quid, nisi calicem Passionis & mortis, ut eo funditus exhausto, plenè dilueres debita seu delicta nostra?

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Sed, ut Pastor bonus, duc & rege nos velut oves pascuæ tuæ: & ut Mediator noster commenda nos AEterno Patri tuo servandos, cui tu moriens teipsum commendasti dicēs: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Ne sinas Domine nos perire, qui venisti quærere, & salvum facere quod perierat.

7. *Sed libera nos à malo.*

Quorsum enim tot labores, sudores, & dolores totius vitæ tuæ? quorsum totum Redemptionis opus, quod à te in Cruce *Consummatum* esse dixisti, nisi ut nos liberemur ab omni malo: gaudeamus in te Vno vero, & Summo *Bono*? O utinam mihi detur illo frui. *Amen*, Fiat, O Christe *Jesu*; Fiat O salus & vita, & pars mea Deus in æternum.

XIV. AD DIVISIONEM HOSTIAE, & Agnus Dei.

Cogita separationē animæ Christi à corpore, id est, mortem, quam ille velut Agnus innocens ad occisionem ductus pertulit, ut tolleret peccata mundi. Item descensum ad inferos, &c.

O Domine, tunc Auctor vitæ moreris, ut ego mortis reus vivam? quis mihi tribuat, ut mundo & carni moriar, & tibi soli vivam; & liberatus de profundo inferni, tecum exultem in gloria? O Domine, quanta fecisti! &c. *ut supra.*

XV. AD COMMVNIONEM.

Dum Sacerdos Sacra Mysteria sumit; cogita corpus Christi imponi sepulchro, & tu quoque eum repone in pectore tuo; Et ad hoc spirituale m Communionem institue: quæ vivis Fidei, Spei, Charitatis actibus purissimum colligat. Ecce praxin:

Adoro te, Domine Iesu, viva & vera fide, in hoc Sacramento, corpore & anima carne & sanguine, vi mirabilis potentiæ, sapientiæ, & bonitatis verè præsentem; & spero in te O fons omnis bonitatis & misericordiæ; non enim sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, Tu qui solo nutu potes omnia, & sanabitur misera & languens anima mea.

Amo

Amo te Domine tam amantem mei, ex toto corde meo, super me & omnia: & ideo cupio sumere te modò, saltem spiritualiter, per os Sacerdotis hujus, Ministri tui, qui adstans altari tuo, offert nunc sacra mysteria pro nobis omnibus; ut manducem te, & maneam in te, & unus tecum efficiar spiritus, ut nihil me separet à te, sed in æternum adhæream tibi.

Fac, O Domine, per hæc mysteria, tanta charitatis tuæ munera, ut sacrum Corpus tuum aromatis, & bono virtutum odore condiam, & sindone puræ conscientiæ involutum, in cor novum mundumque reponam, utinam tu in me & ego in te jugiter maneam, & requiescam, &c.

XVI. AD POSTCOMMVNIONEM.

Christum à morte resurgentem, & multis apparentem cogita.

Vtinam & ego nunc à morte peccati verè resurgam, & deinceps tecum, in novitate vitæ ambulem. Mortuus enim es propter delicta nostra, & resurrexisti propter justificationem nostram. O Domine, quanta feci*sti! ut suprà.*

XVII. AD ITE MISSA EST, BENEDICTIONEM, & Evangelium S. Joannis

Cogita quod Christus munere redemptionis humanæ jamplanè perfectus, velut gloriosus Triumphator cœlos ascendat, & Apostoli

accepta Christi benedictione, euntes in mundum universum, prædicent Evangelium omni creaturæ, &c.

O glorioſiſſime Ieſu, egone mente defixus, in terris hęrebo, qui te Patrem meum in cœlis eſſe cognoſco? Tu me te, cum duc in altum, ut, quæ ſurſum ſunt, quæram, & ſapiam, non quæ ſuper terram. Da, ut converſatio mea ſit in cœlis.

O Chriſte Ieſu, qui in cœlo, tanquam in throno Majeſtatis tuæ reſides, & tamen in altari præſens eſſe, & per manus hujus Sacerdotis offerri dignatus es; laudo, adoro, & amo te, ex toto corde, ſed non dimittam te, niſi bene dixeris mihi.

Eſto Mediator noſter, ubi es ad Dexteram Dei ſedens; & Patrem indeſinenter interpella pro nobis: Oſtende ei ſanguinem & vulnera, & omnia merita tua; quomodo ibi poteterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia? O Domine, quanta feciſti! &c. *ut ſuprà.*

SECTIO VI.

De Vita Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

PRO FERIA VI.

CAP. I.

ORATIO DOMINICA,

Diverſimode ad Chriſtum, ejuſque Paſſionem accommodata.

I. MODVS

I. MODVS.

Recitandi Orationem Dominicam

Accommodatè ad VII. Effusiones Sanguinis Iesu Christi.

Pater noster qui es in cœlis.

O Pater Domini Iesu Christi, qui propter nos non pepercisti unico Filio uteri tui: sicut nec ipse pepercit sibi, tradens semetipsum pro nobis, quia voluit; & nos dilexit in finem. O vis amoris! Ecce venio ut hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Roseo ejus cruore tinctas & imbutas manus ad te in cœlum levo. Ecce hic est Filius tuus dilectus in quo tibi bene complacuit. Respice in faciem Christi Filii tui: An patiemur repulsam, ubi pro nobis clamat non sanguis Abel, nec hircorum, aut vitulorum; sed Sanguis Agni immaculati Iesu Christi Vnigeniti tui?

O Iesu Dilecte, Candide, Rubicunde, Sponse Sanguinum, qui redimisti nos Deo in Sanguine tuo; En calicem salutaris (Sanguinis tui) accipiam, & Nomen Domini invocabo. Itaque ante omnia rogo, ut

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Non enim, O Iesu, est aliud sanctius nomen sub cœlo datum hominibus, in

quo oporteat nos salvos fieri; & quod magis honorari dignum sit, quam tuum, O sanctissime Iesu, Nomen, inquâ, super omne nomen, quod impositum tibi est in *Circumcisione* quando jam natus mox pro nobis cœpisti tenellum sanguinem fundere. O fac incalescat hic sanguis in cordibus nostris, & excitet in nobis zelum & fervorem dilatandi semper gloriam Nominis tui. Sic Nomen tuum, O Iesu, benedictum ex hoc nunc & usque in sęculum.

II. *Adveniat regnum tuum.*

Rex enim es tu, O Iesu, & quidem magnus super omnes Deos, & Reges terræ. Sed, heu, qualis reputaris ab impiis! Quomodo te Regem honorant, quali diademate coronant, quibus gestibus adorant! Nempe ut fatuo & ludicro Regi illudant, plectentes tibi *Coronam de spinis* durissimis, & alte capiti tuo infigentes.

Per hujus sanctissimi Sanguinis effusionem, fac in nos perveniat Regnum tuum, ubi nos coronas in misericordia & miserationibus. Et deniq; regnum tuum illud ubi gloria & honore coronamur. Id nobis obtineat Sanguis pro pro nobis in *Coronatione* effusus.

III. *Fiat voluntas tua.*

O Iesu, qui voluntatem tuam nostri caussa promptissimè resignasti in bene-

pla-

placitum Patris tui, factus obediens usque ad mortem; cum in *Agonia* ad monte Oliveti tantis premeretur angustiis cor tuum, ut sudor tuus, sicut guttæ sanguinis, de toto corpore defluerent.

Ecce voluntatem meam merito tui causſa resigno; tuæque subiicio; ut tua, non mea fiat; Esto, desuper ad horrorem & sudorem usque anxietur in me spiritus meus; optabo nihilominus, ut *Fiat voluntas tua.* O fac id donetur mihi per *sanguineum Sudorem* tuum.

IV. *Panem nostrum quotidianum.*

O Iesu, supra dorsum tuum araverũt peccatores, & flagellis, virgisque, quasi vomere, rastro, & ligone terrã corporis tui subegerũt. Sed quanta nobis ex tam crudeli cultura messis, & fructuum copia parata! Nempe ut dum hic cibamur pane lacrymarum; & in sudore vultus vescimur pane nostro; Pane quoque vitæ & intellectus nutriamur; & sicut adipe & pinguedine repleatur anima nostra; donec in fortitudine cibi illius perambulemus hoc desertum; & tandem edamus & bibamus super mensam tuam, & satiemur ab ubertate domus Dei. Fiat O Iesu, per Sanguinẽ, quem pro nobis in *Flagellatione* fudisti.

V. *Et dimitte nobis debita nostra.*

O Iesu patientissime, cujus Sãguis toties

ties pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. Nam & à crudelissimis tortoribus non semel vestimenta tibi violenter, & crudeliter detrahi; adeoque vulnera tua sæpius renovari, magisque dilatari, non sine acerbissimo dolore sustinuisti: quia nimirũ homo vestem innocentiæ peccando perdidit & restitutam sæpius, iterando peccata, fœdavit.

Rogo te per sacra Vulnera tua crudeli *vestium expoliatione* renovata, & Sanguinem ex eis tam copiosè manantem, dimitte nobis debita nostra. Fac ut expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus novum qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.

VI. *Et ne nos inducas in tentationem.*

O Iesu, qui *transfixis manibus & pedibus* Cruci truculenter nimis affixus es, & totidẽ quasi fontibus vel canalibus sanguinem copiosè profudisti; Ecce in manibus tuis sortes meæ, nam & cadentem tenes me, & jacentem erigis, & stantem protegis. In manus tuas commẽdo me. Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie eorum qui affligunt & persequuntur me. O si contra omnem tẽtationem stem fortis in fide, tibi, Christe, confixus cruci; ut ab amore tui me nec vita, nec mors nec ulla creatura se-

separet.

VII. *Sed libera nos à malo.*

O Iesu refugium afflictorum, Ecce in medio malorum & laqueorum miser homo perambulat; ubi quæret asylum, ut tutus lateat? ubi? nisi in sinu dulcissimi cordis tui, ad quod per *Latus apertum lanceâ* nobis aditus patefactus est. Intrabo istuc intrepidus, & ibi habitabo securus, tanquam columba in foramine petræ; in caverna maceriæ. Ibi abscondita est fortitudo mea. Bonum mihi erit istic esse, & ibi figere tabernaculum, ubi nec flagellum, nec ullum appropinquet malum. Inde quippe Sanguis & Aqua profluxit; ut sit & ablutio scelerum, & fortitudo fragilium, & miseriæ remedium, & contra omnia salutis pericula firmamentum. O bone Iesu libera me ab omni *Malo*, quando tam amanter pandis mihi sinũ Amoris, dulcissimũ *Cor* tuum; id est, Te ipsum fontem omnis *Boni*. Amen, Amen.

III. MODVS

Recitandi Orationem Dominicam

Accommodatè ad VII. Verba Christi in Cruce.

Pater noster qui es.

1. *Sanctificetur Nomen tuum.*

O Domine Iesu, Sancte Sanctorum unius

uniùs cum Patre in cœlis gloriæ & majestatis; Tibi quidem in omni vita, quoad in terris visus, & cum hominibus cõversatus es; sed nec minus in morte id unicè curæ fuit, semper & ubique gloriam Patris tui quærere ac prædicare. Videbaris quidẽ in extremis mortis angustiis quasi derelictus à Patre clamare; *Deus meus, quare dereliquisti me?* sed illa derelictio ad cumulum paternæ, tuæque gloriæ cessit Nam obediens ad mortẽ factus es; propter quod exaltavit te Deus, & dedit tibi Nomen, quod est super omne nomen.

O Iesu, sic pro me derelicte, fac ne unquam, præsertim in hora mortis, derelinquas me, propter gloriã nominis tui; Da ut etiam in desolatione, & inter flagella te benevolum Patrem agnoscens, dicam cũ Viro probatæ patientiæ: Sicut Domino plácuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Illud, inquam, O Iesu, cujus Te Dominum Latro tecum crucifixus agnovit, dicent, *Memento mei, cum veneris in Regnum tuum*: cujus quidem consortium tu protinus illi promisisti, dicens, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Da mihi, O Iesu, quæ sursum sunt quærere, ubi tu es in dextera Dei sedẽs; quę sursum sunt sapere, non quæ super

per terram. Sed ante omnia, da mihi cor verè contritum, & humiliatum, quod non despicias, ut in fine, cum Latrone dicere mihi magna cum fiducia liceat, *Adveniat regnum tuum*; Memento mei Domine, olim pro me pendens inter Latrones in Cruce, nunc cum Beatis regnans in cœlo. O si tunc & ego merear audire: *Hodie mecum eris in Regno meo.*

3. *Fiat voluntas tua.*

O Iesu obedientissime, qui factus es pro nobis obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis. Vnde palam testaris *Consummatum esse*; nempe, opus Redemptionis humanæ (O quam arduum ac difficile!) tibi à Patre commissum.

O Iesu da mihi, ut quæ status & officii mei sunt, seriò perficiam, ut bonum certamen certando, cursum consummando à te exspectare possim coronam justitiæ. Nam si faciam ego quod jussisti; Tu facies utique quod promisisti.

4. *Panem nostrum quotidianum.*

O Iesu nostræ salutis magne Zelator Quid enim in Cruce pendens, & *te sitire clamans*, quid inquam, sitiebas, aut desiderabas aliud, quam salutem nostram? certè desiderio desiderasti hunc cibum manducare, & hunc calicem bibere. Siccine quod gula nostra peccavit tam

tam acerba sitis expiare debuit?

O si des mihi ita propriam sitire salutem; sicut tu alienã! Quid verò proderat tibi, si me salvares? Nimirum gratuitus amor mei sitim illam accendit: Cui utinã ego dignè respondeam, non negligens ipse curam salutis meæ; sed nec studium alienæ. Vtrumque enim instar dulcis & jucundi cibi nobis esse debet. Absit, ut nauseet anima eorum super cibo isto tanquam vilissimo, & nimium duro.

5. *Et dimitte nobis debita.*

O clementissime Iesu, qui vulneratus & mortuus es propter delicta nostra; quia non vis mortem peccatorum, ita ut nec ipsos tuæ mortis auctores, & carnifices ab hac misericordia velles excluses, quin pro eis orares dicens, *Pater ignosce illis.* O pietas inaudita! O misericordia ineffabilis!

Per hanc precor, ignosce mihi, & dimitte debita mea. Ecce & ego paratus sum ex animo, idque exemplo & verbis tuis monitus, ignoscere inimicis meis; ne frustra quæram à te misericordiam, si erga proximos reservem iracundiam.

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

O suavissime Iesu, qui tentatus es ipse per omnia absque peccato: neminem verò tentas; sed intentator malorum es; immò omnium ten-

tentatorum refugium & virtus; adjutor intribulationibus. Id quod satis in ipsa Cruce monstrasti, tam pro Dilectissima Matre & dilecto Discipulo sollicitus, eosque *sibi invicem commendans*; ut mutuâ curâ & ope, haberent in adversis solatium, in tentationibus remedium.

Vtinam pariter, O Domine, sollicitus sis mei, ut non timeam quid faciat mihi, vel homo, vel Dœmon malignus: & quasi stans sub Cruce provideam te in conspectu meo semper, quoniam à dextris es mihi, ne commovear.

7. Sed libera nos à malo.

O Iesu fortissime; nam fortis ut mors dilectio: Hæc te mori coegit: sed & mortem ac mala omnia fecit vincere. Tu itaque à malis & miseriis hujus vitæ mortalis jam tum liberandus, securè & tranquillè in manus Patris Æterni Spiritum tuum commendas, velut ultrò vitam & animam illi resignans, à quo acceperas; sciens quia potens erat resuscitare te ad vitam, nec morti, nec ullis malis amplius obnoxiam.

Da mihi O Iesu, sic perfungi hujus vitæ pœnis, laboribus, malis, & miseriis, ut cum ad finem pervenero, filiali fiducia, prompta voluntate reddam tibi Creatori meo animam meam: Tu verò à Malo damnatio-

tionis æternæ; (O misti me Domine malũ horrendum!) Deus veritatis, Alibera me, qui rede- men, Amen.

CAP. II.

LITANIÆ
VITAE ET PASSIONIS Domini nostri
JESU CHRISTI
Ex Sacra scriptura.

KYRIE ELEISON, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater de cœlis DEUS, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miser. nobis.
Spiritus S. Deus, miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Miserere nobis.

Iesu cunctis gentibus desiderate, *Agg. 2.*
Iesu in mundum à Patre misse, *Gal. 4.*
Iesu de Spiritu sancto concepte, *Luc. 1.*
Iesu Verbum caro factum, *Ioan. 1.*
Iesu in utero Matris Ioannem visitans & exhilarans, *Luc. 1.*
Iesu de Maria virgine nate, *Luc. 2.*
Iesu in præsepio reclinate, *ibid.*
Iesu Pastoribus in præsepio mani-

manifestate,	*ibid.*
Iesu circumcisionis legem spontè suscipiens,	*Luc.* 2.
Iesu à Magis adorate,	*Mat.* 2.
Iesu in templo præsentate,	*Lucæ* 2.
Iesu in AEgyptum deportate,	*Mat.* 2.
Iesu ab Herode ad necem quęsite,	*ibid.*
Iesu in Nazareth nutrite,	*ibid.*
Iesu in templo inter Doctores invente,	*ibid.*
Iesu rudes & pauperes discipulos eligens,	*Mat.* 4.
Iesu omnibus languentibus misericorditer opitulate,	*Mat.* 4.
Iesu triginta argenteis vendite,	*Luc.* 19.
Iesu ad lavandos Discipulorum pedes inclinate,	*Mat* 26
Iesu pascha cum Discipulis manducans,	*Ioan.* 13
Iesu Corpus tuum nobis in cibum, & sanguinem in potum largite,	*Mat.* 26
Iesu in agonia sanguineo sudore perfuse,	*Mat.* 26
Iesu osculo à *Iuda* tradite,	*ibid.*
Iesu à ministris crudeliter ligate,	*ibid.*

Miserere nobis.

Iesu

Miserere nobis.

Iesu Annæ & Caiphæ præsentate,	ibid.
Iesu alapa à ministro percusse,	ibid.
Iesu à falsis testibus accusate,	ibid.
Iesu reus mortis Iudicate,	ibid.
Iesu in faciem conspute,	ibid.
Iesu oculis velate,	ibid.
Iesu colaphis cæse,	ibid.
Iesu à Petro ter negate,	Mat. 26
Iesu vinctus Pilato tradite,	Mat. 27
Iesu ab Herode sprete & illuse,	ibid.
Iesu veste alba indute,	ibid.
Iesu Barabbæ postposite,	ibid.
Iesu flagellis immaniter cæse,	ibid.
Iesu veste purpurea indute,	Mar. 15
Iesu spinis coronate,	Mat. 27
Iesu arundine pro sceptro donate,	ibid.
Iesu à Iudæis ad crucem postulate,	ibid.
Iesu morte iniquissima condemnate,	Luc. 23.
Iesu crucis pondere gravate,	Ioa. 19.
Iesu tanquam ovis ad occisionem ducte,	Isa. 53.
Iesu myrrhato vino & felle potate,	Mar. 15.
Iesu nudus in cruce confixe,	Mat. 27
Iesu pro inimicis Patrem deprecate,	Luc. 23.

Iesu

Miserere nobis.

Iesu à Iudæis derise, *ibid.*
Iesu lancea transfixe, *Ioan.19.*
Iesu qui mortuus es propter delicta nostra & resurrexisti propter justificationem nostram, *Rom.8.*
Iesu in cœlum elevate, *Act.1.*
Iesu noster apud Patrem advocate, *1.Ioa.2.*
Iesu vivos & mortuos judicature, *2.Tit.4.*
Iesu reprobos in ignem æternum missure, *Mat.23*
Iesu paratum electis regnum collature, *ibid.*

Propitius esto, Parce nobis Iesu.
Ab omni malo, Libera nos Iesu.

Libera nos Iesu.

A subitanea & improvisa mala morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, odio, & omni mala voluntate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumcisionem tuam,
Per Baptismum & sanctum jejunium tuum,
Per labores & vigilias tuas,
Per Agoniam & sanguineum sudorem

rem tuum,
Per alapas & flagella tua,
Per spineam Coronam tuam,
Per Crucem & Passionem tuam,
Per sacratissima quinque vulnera tua,
Per Mortem & Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per missionem Spiritus sancti paracliti,
In die judicii,
} Libera nos Iesu.

Peccatores. Iesu Te rogamus audi nos.

Vt peccatis mortui justitiæ vivamus. 1 Pet. 2.
Vt gloriari nobis non liceat, nisi in cruce Dom. Nost. I.C. Gal. 6.
Vt carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis crucifigere studeamus, Gal. 5.
Vt te passo in carne, & nos eadem cogitatione armemur, 1. Pet. 4
Vt crucem nostram quotidie tollere, & te sequi valeamus, Matt. 16
Vt Sanguis tuus emundet nos ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, Heb. 9.
Vt semel emundati ab operi-
} Iesu, Te rogamus audi nos.

bus

bus mortuis, rursum te Filium Dei crucifigere, & ostentui habere caveamus, *Heb.6.*

Vt relictum à te nobis exemplum intuentes, sequamur vestigia tua. 1. *Pet.2.*

Vt sicut socii passionum sumus, ita simus & consolationis. 2 *Cor.1*

Iesu, Te rog. audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Iesu.

Pater noster. Ave Maria.

ORATIONES
de Passione Domini
Respondent septem horis Canonicis.

AD MATVTINAS.

DOmine Iesu, per amorem, quo tuos in fine dilexisti; per sanguineum sudorem, quem in horto fudisti; per injurias, & dolores quos à tuo Discipulo traditus & venditus, ab impiis Iudeis ligatus & distractus sustinuisti, absolve meorũ vincula peccatorum, & liga hanc animã meã fortissimis charitatis

tuæ funiculis, qui dissolvi non possint. Qui vivis, &c.

AD PRIMAM.

DOmine Iesu, qui hora dici *Prima* pilato præsentatus, Iudex cœlestis judici terreno, & reus falsorum crimi. num ab impiis Pontificibus factus fuisti; succurre nobis miseris peccatoribus in judicio, ut nō æternis suppliciis cum impiis cōdemnemur, sed tuis fidelibus jungi in cœlestibus mereamur. Qui vivis.

AD TERTIAM.

DOmine Iesu, qui hora dici *Tertia* flagellis cæsus, & spinis coronatus fuisti; tribue nobis famulis tuis, ut corpora nostra voluntaria castigatione macerantes, sub capite spinoso digna censeri membra mereamur. Qui vivis.

AD SEXTAM.

DOmine Iesu, qui hora dici *Sexta* transfossis manibus & pedibus, è *Crucis* ligno pependisti, iisdemque clavis damnationis nostræ chirographum in patibulo confixisti; concede animæ meæ, ut liberata à servitute peccati, has sanctissimas plagas tuas, tanquam insignia liberationis meæ semper feram

ram in medio cordis mei. Qui vivis.

AD NONAM.

DOmine Iesu, qui hora diei *Nona*, consummatis omnibus, inclinato capite, Deo Patri spiritum reddidisti, atque in mortuum hominum genus spiraculum vitæ inspiraſti; concede mihi peccatori, ut qui totum me tibi debeo pro me facto; totum me iterum debeam pro refecto, nec jam mihi, sed tibi, qui pro me mortuus es, in perpetuum vivam. Qui vivis.

AD VESPERAS.

DOmine Iesu, qui hora *Vespertina* è Cruce deponi mortuus in sanctissimæ Genitricis tuæ brachia voluisti; concede propitius, ut & crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, & in morte ex ea depositus, per clementissimæ Matris tuæ manus ante te merear præsentari. Qui vivis.

AD COMPLETORIVM.

DOmine Iesu, qui hora *Completorii* in sepulchro quievisti & à Matre tua mœstissima, & ab aliis mulieribus planctus fuisti: fac nos, quæsumus, tuam sanctissimam Passionem veris lachrymis plan-

Plangere, nec unquã crucifigaris, admittere, per quæ iterum crucifigaris, admittere, Qui vivis.

CAP. III.

Orationes variæ de Passione Domini.

I. O Iesu Christe unice Salvator meus, ne pereat quæso, aut fructu suo frustretur in me misero acerbissima Passio & mors tua. Per omnem ignominiam tuam, & amarissimam mortem tuam, & vulneratum cor tuum largire mihi gratiam, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

II. O Crucifixe Iesu Christe, Salvator mundi, omnes dolores tuos, & pretiosum Sanguinem, ac mortem tuam, & omnes miserationes tuas pone inter strictum judicium tuũ & miseram animam meam, Amen.

III. O bone Pastor Iesu Christe qui pretioso Sanguine tuo pascis & purificas oves tuas. Copiosa effusio sanctissimi Sanguinis tui, & omnis passio tua sit mihi, & omnibus peccatoribus in solatium & salutem. Amen.

IV. O innocens Agne Dei, qui per Crucem & mortem tuam, tollis peccata mundi. Per innocentiam tuã, per cruciatus, pœnas & angustias cordis tui in Cruce perpessas, parce mihi in die tremendi judicii tui, & miserere vivis & mortuis. Amen.

V. O fili obediens

Deo

Deo Patri, qui calicem horrendæ passionis tam promptè & alacriter hausisti, felle quoque & aceto in siti tua potatus es. Per omnia durissima tormenta, ac vulnera, fac ut sim mansuetus & patiens; & A Eterno Patri usque ad mortem obediens. Amen.

VI. O Iesu summe sacerdos, qui obtulisti Deo Patri oblationem mundam; & ad reconciliandos Deo peccatores prorsus efficacem, Per infinita merita vitæ, Passionis, ac mortis tuæ, fac ut mundo modo moriar & tibi soli vivam; & demum hinc in pace dimittar. Amen.

VII. O Iesu Nazarene, Rex Judæorum, per victoriam ac triumphum quem contra hostes tuos nostrosque in Cruce retulisti, Serva me ab hostibus meis. Corpus & animam meam ab omni periculo tuere. Ecclesiæ tuæ largire pacem & concordiam; defunctis veniam & requiem: Peccatoribus pœnitentiam & indulgentiam; Omnibus gratiam & misericordiam. Amen.

S. GREGORII
de Passione Domini breves precationes.

I. O Domine Iesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, coronam spineam in capite portantem. Deprecor te, ut tua Crux liberet me ab

Angelo percutiente, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

2. O Domine Iesu Christe, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum. Deprecor te, ut vulnera tua sint remedium animæ meæ, *Pater. Ave.*

3. O Domine Iesu Christe, rogo te per illam amaritudinem Passionis tuæ, quam in hora mortis sustinuisti, maximè tunc, quando anima sanctissima de benedicto tuo corpore est egressa. Miserere animæ meæ in egressu suo de corpore meo, & perduc eam in vitam æternam, Amen. *Pater. Ave.*

4. O Domine Iesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha & aromatibus conditum. Deprecor te, ut tua mors sit vita mea, Amen. *Pater. Ave.*

5. O Domine Iesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, & tuos inde liberantem captivos. Deprecor te, ut illuc nunquam me patiaris introire, Amen. *Pater. Ave.*

6. O Domine Iesu Christe, adoro te à morte resurgentem, & in cœlum ascendentem, sedentemque ad dexteram Patris. Deprecor te, ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear, Amen. *Pater. Ave.*

7. O Domine Iesu Christe, Pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, & propitius esto mihi misero & indigno peccatori,

ri, Amen. *Pater. Ave.*

Precatio.

Obsecro te Domine Iesu Christe, ut passio tua sit virtus mea, qua muniar, protegar & defendar. Vulnera tua sint mihi cibus & potus quibus pascar, inebrier & delecter. Aspersio Sanguinis tui sit omnium peccatorũ meorum ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis & animæ, nunc & in perpetuum, Amen.

Alia Precatio.

Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, pone Passionem, Crucem, & Mortem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ.

Largiri mihi digneris gratiam & misericordiam, vivis veniã, defunctis requiem, Ecclesiæ tuæ pacem, cunctisque peccatoribus vitã & gloriã sempiternam. Qui vivis & regnas.

ORATIONES S. Brigittæ

De Passione Christi longè devotissimæ.

Oratio I.

O Iesu Christe, ęterna dulcedo te amãtiũ, jubil⁹ excedẽs omne gaudiũ & omne desideriũ, salus & amator peccatorũ, qui delicias tuas testatus es esse

cum Filiis hominũ, propter hominem homo factus in fine temporum: memento omnis præmeditationis & intimi mœroris, quem in humano corpore sustinuisti instante saluberrimæ Passionis tuæ tempore in divino corde præordinato.

Memento tristitiæ & amaritudinis, quam in anima, teipso testante, habuisti, quando in ultima cœna Discipulis tuis Corpus & Sanguinem tuum tradidisti, pedes eorum lavisti, & dulciter eos consolando imminentem Passionem prædixisti.

Memento omnis timoris, angustiæ & doloris, quem in tuo corpore delicato ante passionem Crucis tuæ pertulisti, quando post trinam orationem & & sanguineũ sudorem à Juda discipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falsis testibus accusabaris, à tribus judicibus injustè judicabaris, in electa civitate, in Paschali tempore, in florida corporis juventute innocenter damnabaris, veste propria exuebaris, & vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innumerabilibus aliis calumniis lacerabaris.

Da Domine Deus mihi quæso ob memo-

moriam harum, ante mortem crucis tuæ Passionem, veram ante mortem meam contritionem puram confessionem, dignam satisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remissionē Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

Oratio II.

O Iesu mundi fabricator quē nulla dimensio vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amarissimi doloris, quem sustinebas, cum Iudæi sanctissimas manus tuas ad crucem obtusis clavis primo affixerūt, & ad perforandum delicatissimos pedes tuos, cum non esses conveniens voluntati eorum, dolorem super dolorem vulneribus tuis addiderunt, & sic crudeliter te distraxerunt, & extenderunt in longum & latum crucis tuæ, ut dissolverentur compages membrorum tuorum.

Deprecor te per hujusmodi sacratissimi & amarissimi in cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem & amorem tuum, Amen, *Pater noster. Ave Maria.*

Oratio III.

O Iesu cælestis medice, recordare languoris, livoris, & doloris, quos in alto crucis patibulo levatus, passus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in suo statu rectè permanserat, ita ut nullus dolor similis

tuo dolori inveniretur, quia à planta pedis usque ad verticem capitis in te non fuit sanitas, & tamen omnium dolorum immemor Patrem pro inimicis piè exorasti, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Per hanc misericordiam, & ob memoriam illius doloris, concede, ut hæc memoria Passionis tuæ amarissimæ sit omnium peccatorũ meorum plena remissio, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio IV.

O Iesu vera libertas Angelorum, paradisus deliciarum, memento mœroris & horroris, quos sustinebas, cum omnes inimici tui quasi leones ferocissimi te circumsteterunt & colaphizationibus, conspuitionibus, ungulationibus, cæterisque pœnis inauditis te molestaverunt.

Per has pœnas, & per omnia contumeliosa verba, durissimaque tormenta, quibus te Domine Iesu Christe omnes inimici afflixerunt, deprecor te ut liberes me ab omnibus inimicis meis visibilibus, & dones me sub umbra alarum tuarum ad perfectionem salutis æternæ pervenire, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

Oratio V.

O Iesu speculũ charitatis æternæ, memento illius mœroris, quem habuisti, quando in speculo serenissimæ majestatis tuæ conspe-

spexisti prædestinationem electorum per merita tuæ Passionis salvandorum, & reprobationem malorum per sua demerita damnandorum, & per abyssum miserationis tuæ, qua nobis perditis peccatoribus & desperatis tunc condoluisti, & quam latroni in cruce exhibuisti, dicens: Hodie mecum eris in Paradiso. Rogo te Iesu facias mecum misericordiam in hora mortis meæ, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio VI.

O Rex amabilis & amice totus desiderabilis memẽto illius mœroris, quem habuisti, quando nudus & miserabilis in cruce pepẽdisti, & omnes amici & noti tui adversus te steterunt, & nullum consolantẽ inveniebas, nisi solam dilectam Genitricem tuam in amaritudine animæ suæ tibi fidelissimè astãtem, quam Discipulo tuo commendasti, dicens: Mulier, ecce filius tuus.

Rogo te piissime Iesu per gladium dolo-
loris, qui tunc ejus animam pertransivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus & spiritualibus, & da mihi consolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio VII.

O Iesu fons inexhaustæ pietatis, qui ex intimo affectu in crucedi-

xisti: Sitio, scilicet salutē generis humani, accende quæso cordium nostrorum desideria ad omne opus perfectum, & sitim carnalis concupiscentiæ, æstū mundanæ delectationis in nobis penitus refrigera & extingue. Amen. *Pater. Ave.*

Oratio VIII.

O Iesu dulcedo cordium, ingensque suavitas mentium, per amaritudinē aceti & fellis, quam pro nobis degustasti, in hora mortis nostræ concede nobis corpus & sanguinem tuum dignè percipere ad remedium & consolationem animarum nostrarum, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio IX.

O Iesu regalis virtus, jubilusq; mentalis, memento angustiæ & doloris quem passus es, quando præ mortis amaritudine & Iudæorum insultatione cum magna voce te à Deo Patre derelictum clamasti dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Per hanc angustiam peto à te, ut in angustiis nostris non derelinquas nos Domine Deus noster, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

Oratio X.

O Iesu, alpha & omega, vita & virtus in omni tempore, recordare, quod à summo capite usque ad plantam pedis te pro nobis in aqua Passionis tuæ demersisti.

Propter latitudinem & longitudinē vul-

vulnerum tuorum, doce me per veram charitatem custodire latum mandatum tuum nimis peccatis demersum Amen *Pater. Ave.*

Oratio XI.

O Iesu abyssus profundissima misericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium & viscerum tuorum, ut me submersum in peccatis emergas, abscondasque me in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donec pertranseat furor tuus Domine Amen. *Pat. noster. Ave Maria.*

Oratio XII.

O Iesu veritatis speculum, signum unitatis, charitatisque vinculum memento multitudinis innumerabiliū vulnerum tuorum, quibus à summo capitis usque ad imum pedis vulneratus fuisti, & SS. Sanguine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris in virginea carne tua pertulisti pro nobis! Pie Iesu quid ultra debuisti facere & non fecisti?

Scribe quæso, O pie Iesu, omnia vulnera tua in corde meo, pretiosissimo Sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum & mortē, ut in gratiarum actione usque in finem jugiter perseverem, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio XIII.

O Iesu leo fortissime, Rex immortalis & invictissime, memento doloris,

loris, quem passus es, cum omnes vires cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinato capite dixisti: Consummatum est.

Per hanc angustiam & dolorem miserere mei in ultima consummatione exitus mei, cum anima mea anxiata fuerit, & spiritus meus cõturbatus; Amen. *Pater. Ave.*

Oratio XIV.

O Iesu unigenite altissimi Patris, splendor & figura substantiæ ejus, memento obnoxæ cõmendationis, qua Patri spiritum tuum commendasti, dicẽs: In manus tuas Domine, commẽdo spiritum meum. Et lacerato corpore, rupto corde, cum valido clamore, patefactis visceribus misericordiæ tuæ pro nobis redimendis expirasti.

Per hanc pretiosissimam mortẽ precor te Rex Sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo mundo, carni & sanguini, ut mũdo mortuus tibi vivam, & in novissima hora exitus mei suscipe ad te revertentem spiritũ meum exulem & peregrinum, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

Oratio XV

O Iesu vitis vera & fœcunda, memento superefluentis & abundantis effusionis Sanguinis tui, quem tu sicut de botro expressum copiosissimè effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti, & lancea

cea militari perfossa latere nobis sanguinem & aquã propinasti, ita ut nec minima gutta in te remaneret; & demũ quasi myrrhæ fasciculus in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua evanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit, & medulla ossium tuorum emarcuit.

Per hanc amarissimam Passionem & pretiosi Sanguinis effusionem, pie Iesu, precor te, suscipe ánimam meam in agone mortis meæ, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

CONCLVSIO.

O Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, suscipe hãc orationem in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui sanctissimi Corporis sustinuisti, & miserere mei famuli tui, & omnibus peccatoribus, cunctisque fidelibus tam vivis, quã defunctis da misericordiam, gratiam, remissionem & vitam æternam. Amen.

Oratio singulis articulis passionis.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis

dis indecenter offerri, falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exvi, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lãcea vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas Pœnas tuas, quas ego indigñ recolo, & per sanctã Crucem & mortem tuam, libera me à pœnis inferni: & perducere digneris quò perduxisti latronem tecum crucifixum, Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sęculorum Amen.

Precatio devotissima ante Crucem Domini.

BEnignissime ac optime Christe Iesu en me ad te recipio, ad te, O pie, revertor. Sed rubore suffundor, & vehementer pudet, cum tua isthæc specto Vulnera, cum cerno spineam Coronã, teque hæc omnia mea causa perpessum cognosco. Ego siquidem, ego sum, qui isthæc tam dira inflixi Vulnera: ego Coronam hanc spineam in tuum sacrum Caput impressi: ego te in hãc Crucem adegi.

Sed O quanta tua est Charitas? quę tua clementia & Misericordia? Peccavi ego, & tu plecteris, debitæq; necis pœnam pro me luis.

Tuus

Tuus ipse hostis tui: at tu per Crucem tuam me efficis Filiũ Servus fui, at tu Sanguine tuo me liberum asseris.

O si semel concesseris, ut Amore tuo totus flagrem, tum verò tibi, cui me ipsum ac omnia mea debeo, libens hanc etiam Vitam impendam, Amen.

Cap. IV.

EXERCITIA

Varia, ad honorem Sacrorum *quinque Vulnerum*, D. N. Iesu Christi.

COMMENDATIO

Sui ipsius in Quinque Vulnera Salvateris.

I.

BEnignissime Iesu, dulcissimo Vulneri Pedis tui Dextri toto cordis affectu offero, quæcunque mihi prospera & jucunda in hac vita contingere, pio providentiæ tuæ cõsilio disponis, illaque sic tuæ divinæ voluntati, una mecum unio, ut ab ea nulla prorsus tentatione separari aut avelli velim in æternum. *Pater. Ave.*

II.

BEnignissime Iesu, in dulcissimo Vulnere benedicti Pedis tui Sinistri recondo omnes tribulationes, adversitates, angustias, & amaritudines, quas

quas Divina Providentia tua totius vitæ meæ decursu mihi vel immittet, vel evenire permittet; easque unio & conjungo amarissimis doloribus tuis, hoc unum desiderans, ut momentaneum & leve tribulationis meæ æternum gloriæ pondus mihi operetur in Cœlis. *Pater. Ave*

III.

BEnignissime Je. su, in dulcissimo Vulnere benedictæ Manus tuæ Dextræ deinceps repono omnia opera mea, quæcunque per gratiam tuam facturus sum; eaque sic dico ac consecro honori ac gloriæ tuæ, ut eorum meritum per vanam gloriam corrumpi planè nolim; sed ut merces integra & copiosa mihi reposita maneat in cœlis. *Pater. Ave.*

IV.

BEnignissime Je. su, in dulcissimum Vulnus Sinistræ Manus tuæ immergo omnia vitia, & delicta mea, unicè flagitans, ut ea roseo Sanguine tuo, quem pro salute nostra ex eo profudisti, sic aboleas & extinguas, ne coram divino tribunali tuo, me accusent, & à te justo judice contra me sententiam damnationis expostulent. Amen. *Pater. Ave.*

V.

BEnignissime Je. su, in amorosum transfixi cordis tui vulnus, resigno cor meum, cum omnibus suis desideriis, & affectibus; ut illud divino amore tuo sic imbuas, & trahas, ne

ne posthac unquam amplius vel minimum recedat à mandatis meis. Amen. *Pater. Ave.*

EXERCITIVM

Aliud ad Quinque Vulnera.

I.

MItissime *Iesu* per salutiferũ Vulnus Dextri Pedis tui, ignosce mihi, quidquid unquã pravis cogitationibus contra te deliqui: ejusque infinitis meritis compensa, quicquid boni cogitare neglexi: ut posthac te solũ summum bonum meum desiderem, quæram; & inveniam quem diligit anima mea. Amen. *Pater. Ave.*

II.

DVlcissime *Iesu*, per benedictum Vulnus sinistri Pedis tui, ignosce mihi quæso, quicquid sensuum, tam internorum, quam externorum abusu, contra Divinum beneplacitum tuũ perperam gessi; & sic posthac freno timoris tui eos coërce, ut quasi mundo, & omnibus creaturis mortuus, nihil sentiam, nihil concupiscam, nisi te solum Deum meum pro me Crucifixum. Amen. *Pater. Ave.*

III.

DVlcissime *Iesu*, per sacrum Vulnus dextræ Manus tuæ, humillimè supplico, ignosce omnibus malis & vitiosis acti-

actibus meis, simul etiam ex illius merito, in integrum restitue, quidquid culpabili negligentia, in quocunque obligationis genere, per omissionem peccavi: & fac, ut per gratiam tuam deinceps, talenta abs te mihi concredita fructuosius impendam. Amen. *Pater. Ave.*

IV.

DVlcissime Iesu per Vulnus sinistræ Manus tuæ, ignosce iracundiæ meæ ac subitis impatientiæ iræque motibus, in quos sæpè minimâ datâ occasione nimis præceps & imprudens erumpo; atque ex ejusdem Vulneris cœlestiPanario, veræ in omnibus adversis patientiæ remediũ mihi submini-stra, ut promissam mansuetis possidere merear viventium. Amen. *Pater Ave.*

V.

DVlcissime Iesu, per sacrũ vulnus perforati Cordis tui, clementer ignosce, quicquid cor meum volũtate perversa, aut intentione prava unquam deliquit; & in divinissimum Cor tuum sic insere fragile cor meum, ut nihil sentiat, nihil ambiat, nihil concupiscat, nisi secundũ cor tuũ; & in ejus directione jugiter conquiescens, in omni bono usque ad finem vitæ firmiter persevere. Amen. *Pater. Ave.*

***

OB.

OBLATIO

Dominicæ Passionis, & quinque Vulnerum Salvatoris ad Deum Patrem.

CLementissime Pater, æterne Deus, pro meis pariter & totius mundi peccatis, offero tibi, unice dilectum Filium tuum, in Cruce pendentem: Offero tibi sacratissima Vulnera ejus, quæ nostri causâ suscepit. Offero tibi quoque Passionem, dolores, angustias, pres. furas, sanguinem & mortem ejus; in flammatissima illa charitate, qua pro nobis in Ara Crucis obtulit semetipsum; me unà cum illo, divino servitio tuo mancipans, & in sempiternum, ad laudem & gloriam tuæ Divinæ majestatis obligans, & addicens. Amen.

ALIA OBLATIO

Sacrorum Vulnerum Domini, pro expiatione peccatorum.

I.

ADoro te misericordissime Jesu, tibique gratias ago pro cunctis injuriis, persecutionibus, laboribus & fatigationibus tuis, meæ salutis caussa susceptis quę omnia tibi in salvificũ Vulnus dextri Pedis tui depono, ut tu ea Cœlesti Patri offeras pro peccatis meis in unio-

unione Divinæ charitatis tuæ, qua hæc & multo plura nostræ salutis caussa li, bentissimè sustinuisti. Amen. *Pater. Ave*

II.

ADoro te piissime Jesu, tibique gratias ago pro cunctis opprobriis, derisionibus, contẽptibus, variisque ludibriis, salutis nostræ caussa perpessis; quæ omnia tibi in salvificum Vulnus siniſtri Pedis tui offero, ut tu eadem offeras cœlesti Patri tuo pro peccatis meis, in unione ardentissimæ Charitatis, qua hæc omnia libens pro nostra salute sustinuisti. Amen. *Pater. Ave.*

III.

ADoro te clementissime Jesu, tibique gratias ago, pro universis doloribus, pœnis, cruciatibus, vulneribus, & livoribus tuis mei amoris ergò susceptis: quæ tibi in sacrum vulnus Dextræ Manus tuæ supplex offero; ut tu eadem offeras cœlesti Patri tuo, pro peccatis meis in unione divinæ charitatis tuæ quâ hæc omnia pro nobis redimendis sustinuisti. Amẽ. *Pater. Ave.*

IV.

ADoro te manuetissime Jesu, tibique gratias ago pro cunctis, singuliſque pretiosissimi Sanguinis tui guttis, mei caussa, in crudelissima passione tua effusis, quas omnes in Vulnus Siniſtræ Manus offero, ut tu eaſdem offeras cœlesti Patri tuo,

tuo, pro peccatis meis in unione ferventissimæ charitatis, qua eundem Sanguinem tuum caussa nostræ salutis effudisti. Amen. *Pater. Ave.*

V.

ADoro te patientissime Iesu, tibique gratias ago pro cunctis gemitibus, suspiriis, & pressuris cordis tui; pro sudore quoque & lachrymis, propter nos effusis; denique pro amarissima morte, quam mei caussa subiisti, quæ omnia & singula offero tibi in sactatissimum Vulnus benedicti Cordis & Lateris tui, ut tu eadem offeras cœlesti Patri tuo, pro peccatis meis, in unione immensæ charitatis tuæ, quâ hæc omnia salutis humanæ caussa pertulisti. Amen. *Pater. Ave.*

ORATIONES

Pro avertendis omnibus malis & noxis totius Ecclesiæ.

Per merita & virtutem Vulnerum Christi.

I. *DEus* qui non mortem sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum ad sacratissima vulnera tua, contrito corde confugientem, propitius respice, ut dū illa devotè honorat, bella, famem, pestilentiam, & quæcunque alia iracundiæ tuæ flagella ab eo

clementer amoveas.

II. DEus qui cõtritorũ non spernis gemitum, & mœrentium non despicis affectum, adesto precibus nostris, quas, in tribulatione nostra, ad sacra Vulnera tua effundimus, easque clementer suscipicies, tribue, ut quicquid contra nos diabolicæ & humanæ moliuntur insidiæ, elidatur, atque in nihilum redigatur, ut nullis tentationibus læsi; sed de omni tribulatione atque angustia erepti, tibi Deo nostro in Ecclesia gratias referamus.

III. DImitte Domine peccata nostra, & è sacris Vulneribus tuis nobis misericordiã tribue quam precamur, ut humilitatem nostram attendas: tribulationes adspicias: adversitates repellas; effectumque petitionis nostræ largiens supplices tuos clementer exaudias; & scuto Vulnerum tuorum protectos, ab omni malo custodias.

IV. PIentissime Deus, qui iniquitatum ad te conversorum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis, respice tot templa, tot altaria, tot pia loca sacra Nominis tuo olim dedicata, nunc hæreticorum abominationibus prophanata; reminiscere hæreditatis tuæ, augustissimorum Vulnerum tuorum susceptione & nobilissimi Sanguinis tui effu-

effusione, acquisitæ: & Vineam tuam, quã ferus aper extermi-nare conatur, ferventer visita, & illius cultores, adversus devastantium rabiem, tua virtute corrobora; victores effice, & in ea benè operantes tui tandem fac Regni possessores.

V. *Deus* qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium, potentiâ tuæ defensionis expugnas; auxiliare fidelibus tuis, invictissimorum Vulnerum tuorum defensionem invocantibus, ut omnium inimicorum suorum feritate depressa, & omni eorum hostilitate dissipata, incessabili te gratiarum actione laudemus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

SECTIO VII.

De B. V. Maria, & Beata Morte.

PARS I.

DE B. MARIA VIRGINE.

Cap. I.

MEDITATIO

In Orationem Dominicam.

Accommodata ad Cultum & Venerationem
Beatiss. Virg. Deiparæ.

Pater noster qui es in cœlis.

O Iesu Filius Vnigenitus Aeterni Patris, qui cũ esses in forma Dei, & in sinu Patris, temetipsum exinanisti, de cœlo in terram veniens, & illibatæ Virginis uterum ingrediens, Filius hominis, & frater noster fieri dignatus es; sicque in terris visus, cum hominibus conversatus, & salutem nostram operatus es in medio terræ. Et demum consummato Redemptionis opere, reversus es ad eum qui misit te; ut nos quoque in cœlum reciperes, hæredes quidem Dei, tuos autem cohæredes.

Itaque per Matrem tuam, O Iesu, accessum habeamus ad te, qui per ipsam datus es nobis. Inprimis verò rogamus per ipsam, ut *Sanctificetur nomen tuum.*

Magnus enim es Domine, & laudabilis nimis: sed non est speciosa laus in ore peccatoris. Ergo succurrat inopiæ & indignitati nostræ Virgo Deipara, Mater, inquam, tua. Nã si à laudato laudari, ea demum vera laus est, quis hominum, imò quis Angelorum ad sanctificandum Nomen tuum tam erit idoneus, ac Sanctissima Mater tua?

Et

Et ecce, Magnificat anima ejus Dominum, quia feciſti ei, & per eam nobis magna, qui potens es, & Sanctum Nomen tuum; ut beatâ modò dicant eam omnes generationes. Hæc laus & gloria Matris redundet in Filium.

Adveniat regnum tuum.

O Ieſu Fili David, qui natus es Rex Iudæorum de Maria Virgine, Cœli Regina, quæ ſola digna inventa fuit, in cujus virginali aula, tu Rex Regum à regalibus ſedibus veniens, thronum tibi, & primam manſionem inter filios hominum eligeres. Illud itaque Regnum nobis adveniat, cujus ut nos cohæredes efficeres, contumelias, injurias, flagella & mortem denique Crucis pati voluiſti, & ita intrare in gloriam tuam. O Rex gloriæ deſtrue regnum peccati & Satanæ; & regna in nobis modò per gratiam; ut demum nos tecum regnemus in gloria.

Fiat voluntas tua.

Fac nos, O Domine, promptè & alacriter tuæ obedire voluntati; idque exemplo Matris tuæ, quæ ad inſolitum Angeli conſpectum, & affatum turbata quidem eſt; mox tamen voluntati tuæ ſe promptiſſimè ſubmiſit, dicens; *Ecce Ancilla Domini; fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Immò & tuo ipſius exemplo, qui etſi verus Deus, tamen paruiſti Matri,

tri, nec nō Patri Nutritio tuo; *Et eras subditus illis.* Nonne Deo subjecta erit anima mea, imò etiā homini propter Deum, quando & Matri Dei, & ipsi Deo, nihil prius fuit quā parere.

Panem nostrum quotidianum &c.

Tum Corpori, tū Animæ necessaria de manibus tuis exspectamus. Scis enim, O Pater, quia his omnibus indigemus. Sed & Mater tua nostri sollicita pro filiis supplicat. Nam uti quondam in nuptiis inopiam Sponsi & Sponsæ non dissimulat; ita & nostri quoque curam gerit, tibiq; penuriam miserorum suggerit. Audio O pie Iesu intercedentem pro nobis. Tu-ne qui misertus super turbas, tot millia sępius satiasti, nobis per Matrem rogantibus Panem negabis? Per ipsam ergò te rogo.

Pasce me pro necessitate corporis, sed in primis animæ, qui das escam omni carni, & pullis corvorum invocantibus te. Aperis manum tuā, & imples omne animal benedictione.

Et dimitte nobis debita, &c.

Nam grandi debito tibi nos obstrictos fatemur, & plusquā decem millia talentorum tibi debemus. Heu bone Iesu, solvendo non sumus. Sed apud te Domine, misericordia. Et ecce Advocatam pro nobis apud te Matrem tuam. Ne-

me

mo enim ad hoc tam idoneus, ut hæc Mater amantissima Mediatrix nostra, per quam primum susscepimus misericordiam tuam Deus. Audi dulcissimam Matrem tuam O Iesu, nec enim decet, ut confundas faciem ejus, aut quidquã deneges Matri tuæ. Audi & salva nos, Iesu pro quibus Virgo Mater te orat.

Et ne nos inducas in tentationem.

Timemus enim, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus nostri. Verum id nos solatur, quod ut culpam, quę suggestione serpentis irrepsit in mundum, expiares, de Virgine immaculata in qua nihil suum malignus tentator invenit, nasci voluisti. Per hanc itaque rogamus, O Iesu, cõtere Satanam sub pedibus nostris: Elide omnes tentationum vires, & versutias, ne quando dominentur nobis inimici nostri.

Sed libera nos à malo.

Quodcunq; tandem illud sit, quod animæ detrimentum, vel saluti discrimen adferre possit. Nam ut à corporis malis & incõmodis omninò vivamus immunes, vix id audemus petere, aut sperare: cum id ne quidem charissimæ pariter & Innocentissimæ Matri tuæ cõcessum sit. Et quis nostrum hic esse voleat eximius?

Ergò malũ, quodcunque nobis evenire

nire voles, fac ne noceat animæ. Unde, sicut jam moriturus, Matris gestisti curam, eam Dilecto commendans Discipulo; sic nos Matri, & per ipsam tibi commendatos fove, ac protege sub umbra alarum tuarum; ut non accedat ad nos *malum*; & flagellum non appropinquet tabernaculo nostro. Amen.

Cap. II.

MEDITATIO

In Salutationem Angelicam.

Ave Maria.

SAlve & gaude ô beatissima, purissima, & dignissima Virgo Maria! O præclara Stella Maris, quæ clarius ceteris fulges sideribus in tenebris hujus seculi: quæ tam honorificè salutaris ab Archangelo cælitus ad te missо; & ab Elisabeth cognata tua, Spiritu instructa divino: & nunc quoque ab omni congregatione fidelium tui Amoris & Honoris desiderio: Ecce laudo ac saluto te, & gratulor tibi, O sanctissima Virgo & Mater: Et in te laudo Deum Patrem, qui Filium suum unicum, fecit & tuum; unaque nostrum omnium Fratrem. Laudo Deum Filium, qui te sibi elegit in Matrem, ut per te se nobis exhiberet Sal-

Salvatorem: Laudo Deum Spiritum S. qui hoc opus ineffabile, in utero tuo, virtute sua mirabili consummavit.

Gratiâ plena.

IRa & maledictio in omnes Filios Adæ. Tu autem invenisti gratiam apud Deum: imò gratiâ plena es; omni vacua vitio, & cunctis virtutibus, ac donis gratiæ referta. Quid mirum, si gratiâ plena, quandò plenitudo divinitatis in te habitavit corporaliter? cum ipse Fons gratiæ & salutis auctor, tibi soli sese penitus infudit; & per te velut rivum seu canalem in omnes effundi voluit? Cæteris quidē Sanctis minore mensura data est gratia; tibi ipsa se infudit plenitudo gratiæ. Etenim nonnullos quoque plenos gratiâ legimus; sed tu *plena*, valdè differenter & præcellenter ab illis. Nam ubi vasa majora & minora implentur; omnia quidem plena; Sed ibi tamen major abundantia liquoris, ubi major capacitas vasis. At quanta hæc fuerit in te, ut caperes Deum, quem totus non capit orbis? ut, inquam, esses Dei Mater, Cœlorum Regina, Angelorum Domina, Hominum Mediatrix & Advocata?

Ad quid vero *plena*, nisi ut in nos quoque redundes? Vtinam diriventur aquę tuæ foras: fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum, ut de plenitu-

nitudine tanta nos omnes accipiamus.

Sit pietatis tuæ, O Virgo beata, ipsam quâ plena es, gratiam diffundere, ut redundante benignitatis tuæ vena, accipiant rei veniã medelã ægri, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes opem & liberationẽ: imo mortui vitã. Vtinam vel guttulam ego merear de plenitudine tanta, ad rigandum siccum & aridum cor meum.

Dominus tecum.

O Dives & beata possessio, cujus Dominus Deus ejus! Quid ibi non sit boni, ubi adest Dominus, fons ipse totius bonitatis? Vtique cum Dei sint omnia; possidenti Deum nihil deesse potest. Verè tecum Dominus, qui eũ justis omnibus; tecum verò multò excellentius, per specialem gratiam, & peculiarem providentiam; tecũ in animo, tecum in utero Virtus Altissimi, (Dei Patris) obumbravit tibi. Spiritus S. super. venit in te. Verbum caro factum prodiit ex te Dominus tecum; & in te, uti Rex in Solio, Sponsus in Thalamo, Amicus intimus in amico; imò multo intimius, & arctius. Fac O Domina, ut mecum sit Dominus, per gratiam, qui tecum fuit per arctissimam amoris copulam, & corporis præsentiam: Omnia haud dubiè aderunt bona, quem penes erit Deus, nec ulla

timebo mala, si mecum fuerit Dominus.

Benedicta tu in mulieribus.

UTique benedicta in mulieribus, quæ sola placuisti summo Regi ex tot millibus. Merito benedicta, quæ tot votis & suspiriis expetita: tot seculis expectata, tot vaticiniis prænuntiata. Verè benedicta in mulieribus, quæ à communi maledictione, & conditione mulierum eximia ita ut nec sterilis maneas, nec virginitatem perdas, nec cum dolore parturias.

Cæterum dura necessitas, & grave jugum super omnes alias filias Evæ; si fœcundæ, fœdantur & cruciantur. *Gen.* 3. si steriles, maledicuntur. *Exod.* 23. Tu simul & fœcunda, & munda; & cruciatus expers, maledictionem Evę convertisti in benedictionem.

O Benedicta, Cõcipis enim, sed sine concupiscentia: gravida es, sed non gravata. Paris, sed sine tristitia. Nescis virum, & gignis Filium, O qualem Filium! Illius fis vera Mater; cujus Deus est verus Pater! Deum paris, & de Deo concipis; Virgo fœcunda; casta puerpera; Mater intacta: Quid ni ergò Benedicta tu in mulieribus?

Et benedictus Fructus ventris tui Jesus.

BEnedictus, in quã quia auctor gratiæ, & fons omnis benedictionis, in

quo benedictæ sunt omnes gentes. Hunc in te benedicimus & laudamus, O Virgo benedicta, quem etiam solum super omnia laudat & magnificat anima tua, quia magna & mirabilia hæc, quæ mira. mur & veneramur in te, fecit tibi, qui potens est super omnia, Benedictus Deus in secula.

Eva fructum mortis comedit; & nos quoque peremit: Tu fructum vitæ mundo protulisti, & ecce reviximus. O beatus venter, qui talem nobis fructum portavit & peperit. Per te, obsecro, eundem Fructum vitæ comunicemus in mensa perennium gaudiorum, Amen.

CAP. III.

LITANIÆ DE B. MARIA VIRGINE.

Ex Scriptura Sacra;

KYRIE ELEISON. Christe eleison. Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus S. Deus, miserere nobis.

S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.

S. Maria, Ora pro nobis

S. Dei Genitrix, Ora pro nobis.

S. Virgo

S Virgo Virginum,
S. Maria Mater Viventium, *Gen.3.*
S. Maria Patribus promissa, *Isa.7.*
S. Maria Oraculis propheticis prænunciata, *Isa.7.*
S. Maria ex stirpe David progenita, *Matt.1*
S. Maria speculum sine macula, *Sap.7.*
S. Maria justo Ioseph desponsata, *Matt.1*
S. Maria inviolabile virginitatis propositum amplexa, *Luc.1.*
S. Maria ab Angelo honorificè salutata; *Luc.1.*
S. Maria Mater Domini, *Luc.1.*
S. Maria Elisabeth cognatam visitans, *Luc.1.*
S. Maria cum sponso Ioseph in Bethleem profecta, *Luc.2.*
S. Maria Filium enixa, & in præsepio reclinans, *ibid.*
S. Maria puerpera, à Pastoribus & Magis visitata, *ibid.& Matt 1*
S. Maria Filium juxta legem circumcidi sustinens, *Luc.2.*
S. Maria legi Purificationis sponte te subiiciens, *ibid.*
S. Maria in AEgyptum cum Filio & Sponso profuga, *Matt.1*
S. Maria ex Aegypto in terram

Ora pro nobis.

 Israel

Ora pro nobis.

Israël reversa, *ibid.*
S. Maria quę Filium triduo dolens quæsivisti, *Luc. 2.*
S. Maria quæ filium in Templo gaudens invenisti, *ibid.*
S. Maria Nuptias præsentia tua, unà cum Filio honorans, *Ioan 2.*
S. Maria Filio defectum vini in Nuptiis insinuans, *Luc. 2.*
S. Maria quæ stabas juxta Crucem Filii, *Ioan. 19*
S. Maria Dilecto Discipulo commendata, *Ioan. 19*
S. Maria doloris gladio transfixa, *Luc. 2.*
S. Maria Spiritu S. in die Pentecostes repleta. *Act. 1.*
S. Maria quæ cunctis generationibus beata prædicaris, *Luc. 1.*

Te rogamus audi nos.

Per æternam electionem tuam in Matrem Filii Dei,
Per amorem Filii tui unigeniti,
Per gaudium Angelorum in Nativitate Iesu Filii tui jubilantium,
Per Sanguinem ejus tenellum, primũ in Circumcisione fusum,
Per dulcedinem amoris, quo fovisti Filium infantem, & virgineis uberibus lactasti,
Per adorationem, & mystica munera Mago-

Magorum,
Per oblationem Filii tui in Templo,
Per affectus amoris, gaudii, gratitudinis, admirationis, Laudis, &c. quos visis tot Filii mirabilibus concepisti,
Per omnes angustias, molestias, & incommoda, quæ primum in Bethleem, cum non esset tibi locus in diversorio, deinde fugiens in Aegyptum sustinuisti,
Per humillimam obedientiam Filii, qua tibi & Iosepho subditus erat,
Per dolorem materni cordis, quo abeuntem ad Passionem Filium prosecuta es,
Per glaudium acerbissimi doloris, qui sub Cruce Filii pertransiit animam tuam,
Per gaudium ex Resurrectione Filii perceptum,
Per inæstimabilem exultationem cœlestis curiæ in Assumptione tua,
Vt Filio tuo nos commendare & reconciliare digneris,
Vt promptam Filio tuo in omnibus parendi voluntatem nobis obtineas,
Vt in necessitatibus & angustiis nostris

Te rogamus audi nos.

nostris Filii tui clementiam nobis exorare digneris,
Vt in omni tribulatione vinum divinæ consolationis nobis impetres,
Vt nos tanquam Mater filios tenellos continuo fovere ac protegere digneris,
Vt nobis in hora mortis adsistere, ac serpentem calcaneo nostro insidiantem reprimere digneris,
Vt oculos tuos misericordes ad nos Advocata nostra convertas,
Vt fructu ventris tui nos æternum frui facias,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c.
Pater Nost. Ave Maria.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in æternũ.
℣. Post partũ Virgo inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

PRotege Domine famulos tuos subsidiis Pacis, & B. Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hostibus & periculis redde securos.
Concede nos famu-

mulos tuos quæsumus Domine, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virg. intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

A cunctis nos quæsumus Domine mentis & corporis defende periculis, & intercedente B. & gloriosa semper virgine, Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem, ut destructis adversitatibus, & erroribus universis, Ecclesia secura tibi serviat libertate. Per eundem Dominum nostrum.

Cap. IV.

ORATIONES

Variæ ad Beatiss. Virg. Deiparam.

Oratio S. Bernardi ad Deiparam Virginem

MARIAM.

O Dulcissima Virgo *Maria*, per te accessum habeamus ad Filium, & per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excusset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua Deo tam grata nostræ veniam impetret vanitati ac superbiæ.

Copiosa charitas tua nostrorum copiat multitudinem peccatorum: Et fœ-

fœcunditas tua gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum.

O Domina nostra, mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta. Fac, O benedicta, per gratiam quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ, IESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

Oratio ad Beatam Virginem MARIAM, *& simul ad B. Joannem Evangelistam.*

O Intemerata, & in æternũ benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Dei genitrix *Maria* gratissimum Dei templum, Spiritus sancti Sacrarium, Ianua Regni Cœlorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater misericordiæ aures tuæ bonitatis indignis supplicationibus meis, & esto mihi miserrimo peccatori pia & propitia, in omnibus auxiliatrix.

O Ioannes beatissime Christi familiaris & amice, qui ab eodem Domino nostro IESU Christo Virgo es electus, & inter cæteros magis

gis dilectus, atque in mysteriis cælestibus ultra omnes imbutus; Apostolus enim & Evangelista factus es præclarissimus: te etiam invoco cum Maria Matre ejusdem Domini nostri Iesu Christi Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa conferre digneris.

O duæ gemmæ Cœlestes, Maria, & Ioannes! O duo luminaria divinitus ante Deum lucentia, vestris radiis scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus unigenitus Dei Filius, ob sinceriſſimæ Virginitatis meritum, dilectionis suæ confirmavit privilegiũ in cruce pedẽs: uni vestrum ita dicẽs; Mulier, ecce Filius tuus deinde ad alium; Ecce Mater tua.

In hujus ergo tã sacratissimi amoris dulcedine, quã tunc ore Dominico velut mater & filius ad invicem conjuncti estis, vobis duobus ego miserrimus peccator commendo hodie corpus & animam meam: ut in omnibus horis atque momentis, interius atque exterius firmi custodes, & pii apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi, quæso, corporis & animæ salutem.

Agite quæso, agite vestris glorioſis precibus, ut cor meum invisere & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarũ Largitor optim⁹, qui

qui meâ cunctis vitiorum sordibus expurget; Virtutibus sacris illustres, & exornet, in dilectione Dei & proximi mei perfecte stare & perseverare me faciat, & post hujus vitæ cursum ad gaudia ducat Electorum suorum benignissimus Paraclitus. Qui cum Deo Patre, & Filio vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

OBLATIO SVI
ad beatam Virginem.

SAncta Maria, Mater Dei, & Virgo, ego licet indignus, qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram Angelo meo custode, & tota cœlesti Curia, in meam Matrem & peculiarem Dominam, Patronam, & Advocatam. Firmiterque propono me deinceps tibi & Filio tuo servire velle fideliter, & adhærere perenniter.

Obsecro te Mater sacratissima, per amorem quo Filius tuus jam moriturus in Cruce semetipsum Patri suo te vero Discipulo suo, & hunc vicissim tibi commendavit, ut me suscipias in curam & tutelam tuam, & adsis mihi in omnibus periculis & angustiis totius vitæ meæ; sed præcipuè adsistas in hora mortis meæ. Amen.

Com-

Commendatio ad B.V.

O Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem spe & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem.

Oratio ad beatam Virginem Mariam *pro felici Morte.*

O Dulcissima *Jesu* Mater, Virgo *Maria*, Patrona mea, visceribus misericordiæ plena, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea & improvisa superveniat: ne subito & imparatus de hoc mundo transeam. Ora pro me *Maria* Virgo benedicta, ob unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi passionem ac mortem amarissimam, ut peccati derestatione, Diaboli & operum ejus abrenunciatione, vera contritione, pura & humili confessione, pœnitentia & satisfactione, digna

gna Dei acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Et fac mecum misericordiam tuam, O beata Virgo Maria, mater Dei, in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingua sene. quibit movere ad invocandum te; neq; oculi mei lucem capere poterunt aures que meæ nulli voci patescentes: Memor esto tunc O Maria precum, quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & subveni mihi in illa ultima hora necessitatis meæ, ut liberet à ministris Diaboli, & collocet cum Christi fidelibus, Filii tui servis & amicis Amen.

Alia oratio ad B. Virginem MARIAM.

OBsecro te Domina sancta, *Maria* mater Dei, pietate plenissima, Summi Regis Filia, Mater gloriosissima Mater orphanorum, Consolatio desolatorum, Via errantium, Salus omniũ in te sperantium, Fons misericordiæ, per illam sanctam & ineffabilem lætitiam, qua exultavit Spiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelũ annũtiatus & cõceptus Filii Dei fuit.

Et per illam sanctam & ineffabilem humilitatem, in qua tu respondisti Archangelo Gabrieli: Ecce ancilla Domini,

ni, *Fiat* mihi secundum verbum tuum: & per illud divinum mysterium, quod tunc operatus est in te Spiritus sanctus, & per ineffabilem gratiam, pietatem, misericordiam, amorem, & humilitatem, per quas Filius tuus Dominus noster *Jesus* Christus descendit accipere humanam carnem in venerabilissimo utero tuo: & per glorioſissima gaudia quæ habuisti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo.

Et per illam sanctam & maximam compassionem, & acerbissimum cordis dolorem, quē habuisti, quando Filium tuum Dominum nostrum *Jesum* Christum ante Crucem nudatum, & in ipsa levatum, pendentem crucifixum, vulneratum, sitientem, amarissimum potū, fel & acetum ori ejus apponi vidisti: Eli clamantem audisti, & morientem vidisti.

Et per quinq; vulnera ejusdem Filii tui: & per contractionē viscerū tuorū præ nimio dolore vulnerum suorum & per dolorem quem habuisti, quando vidisti eum vulnerari, & per fontes Sanguinis sui: & per omnem passionem ejus, & dolorem Cordis tui; & per fontes lachrymarum tuarum: ut cum omnibus Sanctis & Electis Dei venias, & festines in auxilium & consilium meum; in omnibus orationibus & petitionibus meis,

meis, in omnibus angustiis & necessitatibus meis; & in omnibus illis rebus, in quibus ego sum aliquid facturus, locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ.

Et mihi famulo tuo impetres à dilecto Filio tuo Domino nostro Iesu Christo virtutum omnium complementum, cum omni misericordia & consolatione, omni consilio & adjutorio, omni benedictione & sanctificatione, omni salvatione, pace & prosperitate, omni gaudio & alacritate: etiam abundantiam omnium bonorum spiritualium, & sufficientiam corporalium, & gratiam sancti Spiritus, qui me bene per omnia disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet, & futura moderetur: vitam honestam & castam mihi tribuat: Fidem, Spem, & Charitatem mihi præstet: articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis observare me faciat: sensus corporis mei regat & protegat, & à peccatis mortalibus me semper liberet & defendat usque in finem meum.

Hanc orationem suppliciter exaudiat, & suscipiat, & vitam æternam mihi tri-

tribuat. Audi, & intercede pro me dulcissima Virgo Maria, mater Dei & misericordiæ, Amen.

ORATIO post *quamlibet Orationem.*

O Maria Mater gratiæ, mater misericordiæ; respice oculo pietatis hoc exiguum meæ servitutis obsequiũ, quod mellifluo cordi tuo emendandũ, perficiendum, & repræsentandum dilecto Filio tuo offero, ad maximam ejus gloriam, amorẽ, beneplacitum; in gratiarum actionem æternam, ad gratiam nobis impetrandam illi placendi perfectissimè, in tempore, & æternitate, &c.

O Iesu Fili Dei & Mariæ Virginis dignate, de manu piissimæ Matris tuæ suscipere, & infinita pietate tua supplere, hoc tepidum, aridũ, & distractum orationis obsequium; & unitum ardentissimis tuis Orationibus, Sacrificiis laudis, & infiniti meriti ac valoris obsequiis, repræsentare AEterno Patri, ad omnes Sanctas intentiones, &c.

Pater, respice in faciem Christi dilecti Filii tui, & miserere nobis gratiam largiens, te cum eodem Dilecto Filio tuo, & Spiritu S. amandi & glorificandi, nunc perfectè in via; olim beatè in patria, juxta tuum

O san-

sanctissimum bene- dem Dominum no-
placitum. Per eun- strum.

PARS II.
SECT. VII.
De Beata Morte.
CAP. I.

LITANIÆ
Sanis, Aegris, Moribundis, accommodatæ, è Sacra Scriptura.

KYRIE ELEISON. Christe eleison.
Kyrie eleison,
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miser. nob.
Spiritus S Deus, miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Miserere nobis.

Qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam formasti, *Gen. 1.*
Qui genus humanum ob peccatum variis miseriis, morbis ac morti subjectum solatio ac remedio non destituisti, *Gen 3. Job. 14.*
Qui populum ab ignitis serpentibus percussum, ænei Serpentis aspectu liberasti, *Nu. 11.*

Qui

Qui misertus super afflictione populi, Angelum percutientem ab internecione revocasti, — 2 Re. 24

Qui per Elisæum Prophetam hospitæ defunctum vitæ restituisti, — 4. Reg. 4

Qui Asam Regem plus in Medicis, quam in Deo confidentem præmaturè mori fecisti, — 2 Par 16

Qui Ezechiam in infirmitate cum lachrymis deprecantem à morte & morbo liberasti, — Isa. 38.

Qui Iob à Satana tantisper affligi permissum, insigni patientia roborasti, — Job. 1. &c.

Qui medicos, & innumeras remediorum species propter necessitatem hominum creasti, — Eccl. 38

Qui missus es mederi contritis corde, & prædicare captivis indulgentiam, & consolari omnes lugentes, — Isai. 61.

Qui senem Simeonem, virum justum, viso Messia ex hoc sæculo in pace dimisisti, — Luc. 2.

Qui filium Reguli in Capharnaum sanasti, — Joan. 4.

Miserere nobis.

Qui hominem 38. annos in infirmitate habentem, verbo sanum feciſti, — *Ioan. 5.*

Qui Socrum Petri magnis febribus tentam liberaſti, — *Lucæ 4*

Qui Paralyticum jacentem in lecto, & per tectum ſubmiſſum curaſti, — *Mat. 2. Lucæ 5.*

Qui mulierem 12 annis fluxu ſanguinis laborantem, & fruſtra à medicis multa paſſam ſanaſti, — *Marc 5*

Qui cœcos diverſos lucis beneficio donaſti, — *Lucæ 8.*

Qui leproſos complures ſolo nutu à lepra mundaſti, — *Mat 8. 10. Luc*

Qui mulierem ſpiritu infirmitatis annis 18. inclinatam, ad perfectam ſanitatem reduxiſti, — *Luc. 11.*

Miſerere nobis.

Qui ſervum Centurionis malè habentem abſens curaſti, — *Mat. 8.*

Qui Chananeæ filiam malè vexatam à Dæmonio liberaſti, — *Mat 15*

Qui omnes malè habentes, Lunaticos, Paralyticos, hydropicos; variiſque languoribus & tormentis comprehenſos curaſti, — *Mat. 4. 9. Mar. 1.*

Qui

Qui in agonia, tristis usque ad mortem sanguinem sudasti, — *Luc.* 4. 14. &c.

Qui Calicem passionis & mortis à te transferri rogans, voluntati Patris, tuam subjecisti, — *Luc.* 22

Qui Latroni tecum crucifixo consortium Regni promisisti, — *Luc.* 22

Qui moriens in manus A Eterni Patris spiritum commendasti, — *Lucæ* 23

Qui pestilentiam & morbos ob peccata immittere consueviſti, — *Deu.* 28. *Ezech.* 28 &c.

Qui morbos, & adversa corporis, sæpè etiam non causſa peccati, sed ad gloriam Dei manifestandam immittis, — *Ioan.* 9. & 12.

Quis venturus es judicare vivos & mortuos, — 2. *Tim.* 4

Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.

Ab omni languoris molestia.

A subitanea, & improvisa, mala morte,

Per dolores mortis, qui te in horto, Passione instante, circumdederunt, — *Luc.* 22.

Per zelum amoris tui quo do-

Libera nos Dom.

Libera nos Domine.

lores nostros tulisti, & languores nostros tuo livore sanasti, *Isa. 53.*

Per angustias cordis tui in Cruce; cum te à Patre derelictum clamasti, *Matt. 27*

Per gladium doloris, quo cor dulcissimæ Matris tuæ in passione transfixum est, *Luc. 2.*

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Vt tanquam advenas & peregrinos æstimemus nos super terram. *Psal. 38.*

Vt in quibuslibet morbis & afflictionibus nihil stultum contra Dominum loquamur, *Job. 1.*

Vt sicut bona suscepimus de manu Domini, ita & mala æquanimiter sustineamus, *Job. 1.*

Vt incerti de mortis & Iudicis adventu maturè domui nostræ disponamus, *ibid.*

Vt desiderium habeamus dissolvi & esse cum Christo, *Phil. 1.*

Vt sani ex morbo tuâ gratiâ factâ facti, ne quid nobis contingat deterius, non amplius peccemus, *Joan. 5.*

Vt nec vita, nec mors, nec alia creatura, à Christo nos se- *Rom. 1.*

se-

parare valeat,
Vt moriamur morte justorum & novissima nostra fiant horum similia,
Vt non secundum peccata nostra facias nobis; neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis;
Vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ,
Te rogamus audi nos. Nu. 11. Ps. 108 Ps. 26.
Agnus Dei qui tollis peccata, &c

Oremus.

DEus qui Vnigeniti tui patientia antiqui hostis superbiam contrivisti, da nobis quæsumus, quæ idē pro nobis pertulit, digne recolere, sicque exemplo ejus cuncta nobis adversantia æquanimiter tolerare.

Cap. II.

VII. GRADVS.

Ad Beatam Mortem,

Sive

EXERCITIVM

Quotidianum Orationis Dominicæ pro felici Morte.

Pater noster qui es in cœlis.

OPater AEterne IESU CHRI. STI Filii tui per naturā, noster per gratiam:

tiam: Creasti enim nos ad imaginem tuam, & cum per peccatum facti essemus filii iræ; per Sanguinem Filii tui adoptasti nos in filios gratiæ, & hæredes vitæ æternæ. Et quãvis Cœlum tibi Sedes sit majestatis & gloriæ tuæ; nos tamen in terris continuo respicis, & paterna cura, charitate, ac providentia regis.

Ad te itaque levo oculos meos, O clemens Pater, qui habitas in cœlis, unde veniet auxilium mihi. Ad te desiderat anima mea sicut cervus ad fontes aquarum. Creasti enim nos ad te, & inquietum est cor nostrum; donec redeat, & requiescat in te. Quãdo introibo in domum Patris mei, ubi mansiones multæ sunt? Quando consolaberis me? Quando educes me de hoc lacu miseriæ, & de luto fecis? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei Patris mei? Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Tua benedictione adiutus, illo de virtute in virtutem, donec videam te Deum Deorum in Sion.

Gradus. I.

VIVA FIDES.

Sanctificetur nomen tuum.

Inprimis per vivam & veram *Fidem*; quia sine *Fide* impossibile est placere Deo;

Deo : Accedentem enim ad te O Deus, oportet *credere*, quia es, & inquirentibus te remunerator es. Iam verò quid est vita nostra super terram, nisi accessus, seu progressus ad Deum, per duos pedes *Fidei* & *Spei*? Nãquies & adhæsio, seu complexus & fruitio, quæ perfectæ charitatis est, reservatur Patriæ. Tunc enim amplecteris revertentem ad te è regione longinqua filium, & stolâ primâ indues eum.

Interim credo Domine te esse *Qui es*; id est, *Deum* summè Potentem, Sapientem, & Bonum supèr omnia: & quod diligentibus te ipse futurus sis præmium & merces magna nimis. Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne meâ videbo *Deum* Salvatorem meum. In hac fide vivere & mori cupio. Hac fide nixus in omni cruce, tribulatione, pressura, morbo, ac ipsa morte perstabo securus; & tam in adversis, quam in prosperis sanctificabo & laudabo nomen tuum : nihil vel de divina tua potentia, vel de paterna benevolentia dubitans, qua & possis, & velis me servare.

Gradus II.

FIRMA SPES.

Adveniat regnum tuum.

REgnum, inquam, quod paratum est no-

nobis ab origine mũdi Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, Tu es qui restitues hęreditatẽ meam mihi. O quando hoc erit? tã hic advenæ solum & peregrini sumus non habentes manentem civitatem: sed futuram inquirimus.

Interim gloriamur in Spe gloriæ filiorũ DEI: non solũ autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio spem; spes autem non confundit. Propterea lætabitur cor meum, insuper & caro mea requiescet in spe. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quoniã tu Domine singulariter in spe constituisti me.

In te Domine speravi, non confundar in æternũ, in justitia tua libera me, &c.

Gradus III.

SINCERA CHARITAS.

Fiat voluntas tua, sicut.

QVæ est autem voluntas tua, O amantissime Pater nisi ut amem te? Ecce jubes, ut diligam te ex toto corde meo & ex tota mente mea, &c Sed da quod jubes, & jube quod vis. Volo quidem & ego sic amare te, & condelector legi tuæ secundum interiorem hominem; sed

sed invenio aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ut non quod volo bonum faciam.

Sed & audio quod si quis diligat mundum, vel ea, quæ in mundo sunt Charitas Dei non sit in eo. Expellat ergo & hũc pravum amorem de corde meo fortis ut mors, imò fortior morte Dilectio: ut nihil sit, præsertim in egressu meo de hoc mũdo, quod me possit separare àcharitate, quæ est in Christo IESV Domino nostro.

Absorbeat me vis amoris tui, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in cruce mori.

Gradus IV.

PARTICIPATIO

Sacramentorum.

Panem nostrum quotidianum.

DEus, qui hactenus pascis me à juventute mea; O si usque in senectam, & cum defecerit virtus mea, non derelinquas me. Nã peregrinante per hoc desertum, ad terram promissionis, cibo opus habemus non minus animæ quam corporis; ne deficiamus in via. Non enim in solo pane vivit homo; sed de omni verbo quod procedit de ore tuo. Itaque cibus animæ est Verbum

tuum ; item Sacramenta tua, & præsertim Panis ille Angelorum, Manna de cœlo verum, Corpus, inquam, & Sanguis Domini nostri JESU Christi.

O Da mihi, Domine, ut cum ingrediar viam universæ carnis, & ex deserto mundi hujus ad patriam promissionis æternæ proficiscar, Viatico non destituar: Corpore, inquam ac sanguine tuo refice animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem excelsum gloriæ tuę ubi Electos tuos, cibabis ex adipe frumenti, & satiabis eos ab ubertate domus tuæ.

Gradus V.

REMISSIO

Peccatorum.

Et dimitte nobis debita nostra.

SCio, Domine, quia nihil coinquinatum potest intrare in regnum cœlorum: nec admittis quemquam nisi reconciliatum & tibi, & proximo suo.

Doleo ex intimo corde, quod unquã offenderim te Deum & summum Bonum meum. Ideoque dimitto ex animo proximis meis omnes offensas ; ne fortè frustra à te Domino meo sperem misericordiam, si ego servus conservo meo reservem iram. Dimitte ergo mihi, juxta

juxta promissum Filii tui (Dimittite, ait, & dimittetur vobis,) præsertim in ultima illa hora, cũ præsentabor coram te Iudice meo. Heu me si tu iniquitates meas tunc observaveris! O si chirographum decreti contrarium nobis, & debitorum meorũ deleat Sanguis Iesu Christi, qui pro nobis effusus est in Cruce in remissionem peccatorum.

Gradus VI.

VICTORIA Tentationum.

Et ne nos inducas in tentationem.

QVid enim est hæc vita nostra, nisi tentatio, & militia continua super terram? Inde gravis nobis colluctatio cum hostibus multis & potentibus quibus resistere non sufficimus, nisi tu Dominus, potens in prælio pugnes pro nobis; & protegas nos.

O fidelis Deus, ne patere me tentari supra id quod possum; sed fac cum tẽtatione exitum; præsertim circa horam exitus mei ex hoc mundo; tunc enim vehementius instare solet hostis, insidians calcaneo nostro.

Adesto mihi in illa ancipiti lucta, & ultimi agonis momento, à quo pendet tota æternitas mea, & fructus omnium

laborum, quos pro me suscepit; & sanguinis, quem pro me effudit Filius tuus. Si tu pro nobis, quis contra nos? Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es. Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum, &c.

Gradus VII.

LIBERATIO

à Morte AEterna.

Sed libera nos à malo.

MVlta quidem hic nos mala premunt & adte O Deus, ire compellunt, ut liberari petamus: Mundus, qui totus in maligno positus est: Satan quoque *malus* per excellentiam: aliaque pœnæ *mala* innumera. Sed nil æque malum, ac Mors Animæ, infausta proles peccati. Nam peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem. Itaque *Mors peccatorum pessima*. Nimirum separari à summo Bono, Hoc est malum omnium malorum. O si in die mala ab hoc *malo* liberet me Dominus!

O Domine *libera* animam meam; misericors Dominus & justus. Eripe animam meam de *morte*; oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu, ut cantem tibi canticum novum; & sacrificem tibi ho-

hostiam laudis.

Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est; & ego *liberatus* sum.

Confitebor Domino quoniam bonus, quoniam in sæculũ misericordia ejus. Amen. Amen.

Cap. III.

EXERCITIA

Pro infirmis tempore morbi.

ORATIO

Pro Patientia *in morbis & afflictionibus corporis*

LOquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis; umbra fugiens, & vapor ad modicum parens, Memorare Domine quæ mea substantia. Memento quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Ne ergo multa fortitudine contendas mecum; quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam; neq; enim fortitudo lapidum fortitudo mea; neque caro mea ænea est. Vt quid ergò sagittæ Domine in me sunt, quarũ acerbitas ebibit spiritum meum: & terrores Domini militant contra me?

Sed quid, an in Cœlum ponam os meum, aut contradicam sermonibus Sãcti? Quin dicam potius; Dominus dedit vires, sanitatem, &c. Dominus abstulit.

Si-

Sicut Domino placuit ita factum est, Sit Nomen Domini benedictum. Ita dico, Domine; ita sentio. Iustus es Domine & rectum judicium tuum; Et certe graviora ego merueram, Si judex meriti mei ipse fieri cogerer, nil possem huic, quam patior, pœnæ demere.

Agnosco ergo manum Patris benignè castigantem; non dexteram Iudicis in Ira punientem. Sed hoc unum rogo te, Pater clementissime agnosce figmentum tuum fragile, & pusillum; quid ferre valeat, ne succumbat; ex se quidem nihil penitus; ex te omnia, si gratia tua confortet.

Itaque da robur, ut pati & portare possim; *Patientiam*, in quam, desidero. Hæc mihi omnino necessaria est: Hanc da mihi Domine; & ecce paratum cor meum Deus paratum cor meum, accipere quidquid mihi applicitum fuerit; ita ut etiam hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcas. O fac Domine, ut in patientia mea possideam animam meam: ideoque frequenter respiciam in faciem Christi filii tui, ut ipso tanta ac tam dira in carne passo, & ego eadem cogitatione armari studeam.

* * *

ORA-

ORATIO

Elegantissima ad Christum orantem in Horto sub initium Passionis.

Pro gratia & solatio in morbo & hora mortis.

Tristis est anima mea usque ad mortem; Et progressus pusillum procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et factus in agonia prolixius orabat Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

O Dominator Cœli & terræ, Iesu Christe, robur, fortitudo, & victoria Martyrum, qui per te insultant morti, & in morte victores exultant. Vnde ergò tibi metus iste? unde tam anxia supplicatio? unde sudor tam mirus & inauditus, id est Sanguineus? Nonne oblatus es, quia ipse voluisti? nonne voluntariè omninò sacrificium istud Deo Patri obtulisti?

Quis non timeat O Domine, si times tu, quem omnia timent? Quis non concidat exanimis, si tu procidis in faciem, cui curvatur omne genu? Quis non exhorreat ad mortis aspectum, si tu, qui victor mortis futurus es, morte appropinquante, sic formidas?

Sed

Sed benedictus sis in æternum, mi Iesu, quia ad consolationem infirmorum membrorum tuorum, hæc infirmitatis indicia assumere dignatus es; ne carnis infirmitas nobis desperationem ingerat, ubi ad passionem & mortem prōptus est Spiritus.

Eja Domine recordare vehementis illius tristitiæ, illius pavoris, horroris, & terribilis angustiæ, quæ velut inundantes aquæ intraverunt usq; ad animam tuam, cum jā adesset initium acerbissimæ Passionis tuæ; adeoque pronus caderes in terram, & peteres à Patre trāsferri calicem istum abs te.

Recordare durissimi illius agonis, & luctæ, heu, nimis acerbæ, qua tibi cum morte, in tristissima illa nocte confligendum fuit, quæ & sanguineum è toto corpore tuo sudorem heu quam violenter expressit!

Memento, inquā, Domine, quorsum hæc omnia? Utique propter nos homines, & propter nostram salutem. Et quidem erit, cum & ego veniam in hanc horam; cum & ego in hunc hortum seu campū certaminis ingrediar, ut cum morte congrediar. Heu Domine, Quid tunc fiet de me? Sine ope tua subsistere non potero; quin deficiam & succumbam, nisi tu mecum sis, & pugnes pro me; tu, qui laborantes & onera-

tos

tos invitas ad te, ut eos reficias.

Calicem quidem tuum, & ego bibere paratus sum; quomodo enim ego peccator recusabo eum, cum tu Agnus innocens illum prior ebiberis? Itaque de precari eum non audeo: attamen hoc enixè precor, O Domine, ut temperes mihi calicem istum, & amaritudinem ejus, sic *Gratiæ* & consolationis tuæ fonte diluas, ut nō abhorream, nec subterfugiam; quo minus bibam illum: omnia enim potero per *Gratiam* tuam, si me cōfortes. Sed & calix *Gloriæ* tuæ inebrians quam præclarus est! O ubertas Domus Dei, qua inebriabuntur Electi tui! O torrens voluptatis, quo potabis amicos tuos! Quid ista spes & exspectatio non leniat, condiat, aut dulcoret? certè omne durū ac grave tribulationis nostræ; æternū Gloriæ pondus alleviat.

Verum Domine in his non mea voluntas, sed tua fiat: Lenem & suavem mortē non peto; Sed qualem tu vis, & noti fore ad majorem gloriam tuam, & meam salutem. Totum hoc tuæ pietati, & voluntati committo. Si difficiliorem mihi luctam, & graviores mortis angustias divina providentia tua disposuit, fiat voluntas tua. Paratum cor meum Deus; sed conserva & adauge in me fidem, & spem præsentiæ, bonitatis, & misē-

misericordiæ tuæ; nec derelinquas me Deus Salvator meus sicut nec Pater tuus dereliquit te; mitte, inquam, & mihi Angelum sanctum tuum, qui in illis angustiis me consolationibus suis erigat, & confirmet, omnemque virtutem inimici propulset à me donec peracto hoc agone, lætus triumphem, & merear à te coronam vitæ, quam promisisti diligentibus te, & perseverantibus usque in finem, Amen.

CAP. IV.

PROTESTATIONES

Sæpius faciendæ, & maximè ante mortem, ab eo, qui Christianè vivere, & mori desiderat.

I.

IN primis protestor, me tota animi promptitudine à divina providentia acceptare hanc & quamcunque aliam crucem, morbum, imò & mortem ipsam, divinæ voluntati meam plenissimè submittens; & agnoscens me non solum hac afflictione, infirmitate, & morte, verum etiam omni alio graviori supplicio, ipso etiam inferno, propter innumerabilia peccata mea dignissimum

Suscipio insuper hanc infirmitatem, & mortem, ob reverentiam sacratissimæ

Passio-

Passionis Domini nostri Iesu Christi; dolores, molestias, & acerbitates, quas tolero, cum molestiis, doloribus, & amarissimis pœnis, quas in vita, passione & morte sua pertulit, uniens; supplicieterque eum rogãs, ut dignetur eas acceptare pro pœnis innumerabiliũ peccatorum, quarum in Purgatorio debitorem me fareor, adeoque in remissionem culparum mearum, & maximè earum, quæ plurimum conscientiam meam urgent, & quas majori cum diligentia confessas, & diligẽtiori satisfactione abolitas modo optarem.

II.

PRotestor quod sicut hactenus in vera S. Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fide vixi, & credidi firmissime, quicquid illa credidit, mihique credendum proposuit, speciatim autem articulos Symboli Apostolici, ita etiam velim mori, in eadem fide, & in hunc finẽ confitendo dico: Credo in Deum Patrem omnipotentem &c. omnia eodem sensu intelligens, quo illa semper intellexit sancta Mater Ecclesia.

III.

PRotestor me humillimè petere remissionem omnium meorum peccatorum commissorum contra divinam Majestatem, proximum, & meipsum, cogitatione, verbo, opere, & omissione in

n ó bſervantia mandatorum Dei, præceptorum Eccleſiæ (Regulæ & conſtitutionum quas profeſſus ſum) in operibus miſericordiæ, tum ſpiritualibus, tum corporalibus; in abuſu Sacramentorum, & negligenti cuſtodia ſenſuum meorum, omnium, inquam peccatorum meorum ſeu mortalium ſeu venialium, occultorum & alienorum, veniam precor à Deo meo per infinitam bonitatem, & miſericordiam ejus, per meritum vitæ, paſſionis & mortis Domini mei, & Filii ejus Ieſu Chriſti, & per potentiſſimã interceſſionem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris Chriſti; per opem omnium Angelorum, Sanctorum & Sanctarum Curiæ cæleſtis & ſpecialiter Patronorum meorum. Atque humillimè à divina bonitate peto, ut dignetur ex hoc tam immenſo theſauro omnes defectus meos in confeſſione Sacramentali commiſſos ſupplere; & vel nunc demum veram ac ſinceram mihi largiri contritionem de omnibus peccatis meis.

IV.

PRoteſtor quod ex animo ignoſcam omnibus qui me unquam quocũque modo læſerunt vel offenderunt, imo illis à divina Majeſtate omnia illa bona precor, quæ deſidero animæ meæ, inſuperque veniam peto, ſi eis occaſionem

nem me offendendi præbuerim. Deum autem omnipotentem rogo, ut profundè ac vivaciter hoc ipsum in corde meo sentiam, & verè ac sincerè dicere valeam, Dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis.

V.

PRotestor quod humillime ex toto corde veniam rogem ab omnibus illis, quos malo exemplo, factis, verbis, vel quocunque modo scienter vel ignoranter offendi, ad omnem satisfactionem me paratissimum offerēs; & Deum enixè rogans, ut si quem læsi aut defraudavi ejus mihi memoriam renovet, & resarciendæ omnis injuriæ sinceram voluntatem & plenam facultatem mihi ante mortem tribuat.

V.

PRotestor me cogitationibus, verbis & operibus imparem divinæ bonitati esse, nec infinitis beneficiis & gratiis, quæ tu Domine mi, mihi præstitisti, tam universalibus, quam particularibus, tam publicis, quam privatis, tā manifestis quā occultis, ullo modo respondere posse; adeoque sanctissimis tuis pedibus advolutus, quas possum maximas, maximoque animi affectu gratias ago.

Appello itaque beatissimam Virginē Matrem tuam, Patronam meam, sanctos Angelos, & pręci-

cipuè Custodem meum; omnes Sanctos & Sanctas curiæ cæleſtis, ſpecialiter autem meos Patronos & Advocatos, ut ſuis gratiarum actionibus ſuppleant meum defectum, & ſingularem ingratitudinem, de qua doleo ac te veniam rogo. Optarem autem mihi hoc caſu tot linguas & corda, quot ſunt creaturæ in mundo, quot ſtellæ in cœlo, quot folia in arboribus, quot arenæ in littore maris, ut aliquo modo pares gratias decantare tibi valeam, & ideo illud Propheticum aſſumo;

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Similiter in omnibus illis gratias ago, qui mihi ullum beneficium corporale aut ſpirituale præſtiterunt: præcipue illis, qui me inſtruxerunt corripuerũt, & admonuerunt; aut ullam mihi occaſionem de dulciſſimo meo Ieſu benè merendi ex charitate præbureunt.

VII.

PRoteſtor me velle vivere, & mori, nunitum meritis Paſſionis, Mortis, & Sanguinis, Chriſti Salvatoris mei item: Patrocinio glorioſiſſimæ Virginis Mariæ & ſuffragiis omnium Sanctorum Eccleſiæ triumphantis, ac reliquorum, qui adhuc ſunt, aut erunt uſque ad finem mũdi, quæ omnia Deo nunc offero pro remiſſio-

missione omnium meorum peccatorũ, & in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis à divina Majestate receptis.

VIII.

EX nunc pro hora mortis meæ supplico beatissimæ Virgini, Angelo meo custodi, omnibus Sanctis, ut quoad vixero, & maximè in hora mortis meæ, efficacibus suis intercessionibus, & meritis impetrent mihi veram fidem, certam spem, ardentem charitatem, constantem fortitudinem, profundam humilitatem, invictam patientiam, omnesque alias virtutes, quæ mihi pro reliquo vitæ meæ, ac mortis articulo necessariæ sunt:

IX.

PRotestor quod si Deo permittente contingeret me vitæ aut mortis tempore ab hoste maligno, quacunque tentatione pulsari, me nolle illi consentire, neque tacite, neque expressè, neque signis, neque verbis, neque factis; adeoque ex nunc pro tũc revoco, irrito & detestor omnes & quaslescunque cogitationes, quas dæmon mihi suggere poterit; soli enim Deo Creatori meo, in finem usque adhærere, & fidelis esse volo: Abrenuncians ex nunc denuò & totaliter Sathanæ, & omnibus operibus ac suggestionibus ejus.

X.

DEnique commendo animã meam

meam Deo Creatori, qui eam ex nihilo creavit: Christo Salvatori, qui eam suo Sanguine & morte redemit: Spiritui S. qui eam in Baptismo sibi sanctificavit. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Deus propitius esto mihi peccatori.

Similiter protestor, quod ubi in agone constitutus, amplius linguâ loqui non valuero, saltem animo desiderem Deo meo uniri; & ex nunc pro tunc illi offero agoniam, labores, sudores, & passiones meas, unienda agoniæ, sudori sanguineo, doloribus & passionibus dulcissimi Salvatoris mei, Iesu Christi, in remissionem peccatorum meorum, & ad gloriam ejus æternam: omnesque ipsi assistentes Angelos toto corde deprecor, ut me in hoc mortis articulo fideli præsidio defendant.

CAP. V.

ALIUD EXERCITIUM seu Protestatio Infirmi & Moribundi.

Quæ coram Ven. Sacramento, ab infirmo Viaticum sumpturo, vel ab alio ejus nomine utiliter legetur.

Utilis etiam alias in Communione, tam sani, quam infirmis.

O Pater misericordiarum, & Deus

us totius consolationis, Ecce ego creatura tua facta ad imaginem tuam, & redempta Sanguine Vnigeniti Filii tui, compareo coram te Creatore meo. Adoro te supplex ad quem desiderat, & millies suspirat anima mea : ad te clamo, quem solum præ omnibus amo, O quies mea, spes mea, amor meus, desiderium meum, & omne bonum cordis mei.

O Pater amantissime, quamvis sim minimus filiorum tuorũ, imò indignus vocari filius tuus, quia te non honoravi, ut Patrem : venio tamen magna cum fiducia ; & me proiicio in sinum & brachia suavissimæ charitatis, & misericordiæ tuæ ; dolens ex intimo corde meo, quod unquã dereliquerim te Deum meum, fontem omnis boni, à te discesserim dulcissimo Patre meo; tui oblitus fuerim; qui omni momento, quasi omnium aliorum immemor, nunquam oblitus es mei.

O utinam nunquam offendissem te, O Deus meus & omnia : Suscipe saltem hoc ab intimo cordis mei ardens votum, ac desiderium meum : Dum tẽpus est miserendi, respice in me, & miserere mei. Scis enim, Domine, quia amo te plusquam me (aut certe sic amare desidero) & super omnia, quæ sunt, & esse possunt amabi-

lia Scio cui credidi; & quia potens es depositum meum servare: scio etiam quia cor contritum & humiliatum O Deus non despicies.

Spero quoq; quòd nunquam proiicies me à facie tua, tu qui tam amanter invitas nos ad te, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos. Ecce Domine venio; Tu, qui omne, quod ad te venerit, non eiicis foras, suscipe me secundum eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab exspectatione mea. Educ de hoc carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.

O felix hora! quãdo liberabor de corpore mortis hujus? Quando veniam ad te? quando venies, & consolaberis me? quando non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem videbo te? quãdo deposito hoc corpore, quod corrumpitur, & aggravat animam, sine remora laudabo te? quando servum tuum dimittes in pace, ut purè serviat tibi?

Priusquam autem abeam, & amplius non ero, saltem cupio divinæ Majestati tuæ in hac lachrymarum valle ex omnibus animi viribus incipere offerre sacrificium laudis; ut deinceps in sæcula sæculorum laudem te.

Gratias igitur ago tibi infinities, quod ab æterno dignatus fueris de me

tam

tam amanter cogitare; & in tempore creare me ad imaginem tuam: Et quando venit plenitudo temporis, redimere me Sanguine Vnigeniti Filii tui; toties mihi parcere peccanti, & de tenebris peccati toties me revocare in admirabile lumen tuum.

Quid verò tibi O Domine IESV, pro laboriosa vita, & acerbissima morte tua; & quod toties me pascere dignatus es Corpore & Sanguine tuo; quid, inquam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi, retribuam, O Sponse dilecte animæ meæ?

Quis mihi tribuat, ut ex omni affectu cœlestis curiæ, omnium Angelorum & Sanctorum, & inprimis sanctissimæ Matris tuæ, te pro hoc artissimè complecti possem; ut omnium eorum, & omnium creaturarum vocibus & affectibus, te laudem atque glorificem?

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes tribulationes ejus.

Abrenuncio jam omnibus terrenis his: quia in te uno omnia habeo; & diligo te ex corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, & ex totis viribus meis.

Et contestor coram te, Deus meus, & te, O beatissima Mater mea, Virgo *Maria*, & te, mi An-

gele Custos, & vobis O dilecti Patroni mei N & N. quia in fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vivere & mori volo: & in solo Deo ac Domino meo *Jesu Christo*, ejusq; meritis confido. O Deus meus, tibi vivam, cui omnia vivunt; tibi moriar, dulcissime *Jesu*, qui amore mei dignatus es mori.

ORATIO

Post sumptam in morbo SS. Eucharistiam:

Ad IESVM Christum Mundi Salvatorem,

Quæ etiam aliàs post communionem erit usui.

GLoria tibi Christe, qui in dulcedine tua pauperē meam animam visitare & refocillare dignatus es Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.

Iam te teneo, dulcis amor, jam ultra non dimitto te, jam Mundo & omnibus, quæ Mundi sunt, lubens valefacio, jam gaudens ad te venio, Deus meus.

Nihil amodo; nihil, O bone IESV, me separabit à te: tibi enim Christe conjunctus sum, in te vivam, in te moriar, & in te, si volueris, in æternum permanebo. Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus.

Tædet nunc animam meā vitæ meæ; cupio dissolvi & esse cum Christo: mihi enim

enim vivere Christus est & mori lucrum.

Iam non timebo mala ambulans in regione umbræ mortis, quoniam tu mecum es Domine; & sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad Deum fontē vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?

Benedic mihi, *Jesu* amantissime, & nunc in pace dimitte me, quoniam tuus sum ego, & in æternum ultra nunquam dimittam te.

O si felici tibi copula nunc socior in æternum, O si totus in te immergi, totus absorberi & sepeliri in te merear, O si anima mea inter amplexus tuos suaviter requiescēs absorbeatur tota in te & felicissime fruatur te Deo amatore suo!

Quid mihi jam ultra cum Mundo, mi amantissime *Jesu*? Ecce nec in cœlis quidquam præter te volui.

In manus tuas Domine *Jesu*, commendo spiritum meum. Recipe me, dulcis amor ut in æternum mihi benè sit in te, & in pace suaviter in te obdormiam & requiescam. Amen.

* * *

COMMENDATIO

Animæ in manus Creatoris.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

JAm commendo sanus & valens, ut commendatum habeas, O Christe, quando illum commendare non potero amplius, etsi suis vinculis nondum solutum. Timeo tempus illud, quo inter vivos ero, nec esse me sciam. Videmus in plerisque moribundis id fieri, spirant, vivunt, & vivere se nesciunt, quis palpitantem tunc spiritum & migrare trepidantem, tandem tamen ex amico carcere migrantem recipiat, si tu excludas, O Creator?

Christe patientissime recordare, etiã te in extremis illis angustiis lacrymatum, & deseri questum esse, spiritum Patri commendasse, exclamasse, expirasse.

Ad te ego jam clamo, ut tu Salvator meus spiritum meum suscipias, quocunque morbo, tempore, loco è corpore abeuntem.

Recordare, bone *Jesu*, in cruce te brachia expandisse, pectus aperuisse, caput inclinasse. Ecce, anima mea à rebus creatis omnibus deserta, refugium quærit: in illa tua brachia sese immittit, in tuum illud pectus sese ingerit: admitte, obsecro,

fecro, miseram, & ne inde exturba, donec ira Dei transeat, hic secura, hic ab inferorum satellitibus tuta lateat.

Ergo, in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, imo tuum, quia tu eum creasti & reparasti: Figmentum tuum, O Deus, ne despice.

Cap. VI.

Indicantur variæ Orationes & Exercitia, quæ sparsim per hunc libellum occurrunt, & huc opportuna sunt.

SI cui libet hoc Libello *nostro uti apud* Infirmos & Agonizantes, *præter ea, quæ hac ipsa Sect. 7. tradidimus, usum habebunt sequentia.*

Memento tamen, hæc & similia apud Infirmos *non confertim, sed sensim, leniter, & per intervalla ingerenda, ut spatium ijs detur, audita nonnihil ruminandi.*

Professio *seu* Actus Fidei. *Sect. 1. p. 36*

Actus Spei. *ib. p. 38.*

Actus Charitatis *ibid. p. 40.*

Actus Adorationis ad SS. Trinitatē. *ibid. pag. 42.*

Actus Laudis & Gratulationis. *ibid. pag. 43.*

Gratiarum actio. *ibid pag. 45.*

Actus Oblationis *ibid pag. 47.*

Actus Resignationis. *ibid. pag. 49.*

Actus Delectationis de Deo *pag. 51.*

Zelus Honoris Dei & Salutis Animarum. *pag. 52.*

Actus Timoris

Dei *p.* 54.
Contemplatio attributorum Dei. *ibid. à pag.* 55. *ad* 75.
Oratio ad S. Michaëlem. *Sect.* 2. *cap.* 2. *pag* 86.
Oratio ad S. Angelum Custodem. *ibid p* 87.
Oratio Dominica cum memoria Sanctorum *ibid. p.* 88.
Tres breves orationes pro remissione peccatorum & emendatione vitæ. *Sect.* 3. *pag.* 229.
Aliæ Orationes pœnitentium *ibidem sequuntur.*
Orationes ante & post Confessionem. *ibid pag.* 234.
Actus Contritionis elegans. *p.* 237.
Tota Sectio IV. de Virtutibus.
Tota Sectio V de Communione.
Tota Sectio VI. de Passione Domini.
Tota pars prior Sectionis hujus Septimæ apud Infirmos & Moribundos locum habent.

CAP. VII.

ORATIONES

Et Sententiæ quædam coram moribundis, vicinaque jam morte frequentandæ.

Moribundus vel alius ejus vice teneat Crucifixum, & recitentur, interim sequentes orationes.

ADoro te, IESV Christe, & benedico tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum: Salvator mundi sal-

va

va me, qui per crucem & sanguinem tuum redemisti, me. Trahe me ad te O bone *Jesu*, qui dixisti, cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Trahe me & tene fortiter, ne quisquam me rapiat de manu tua: ut nihil me separet à te in æternum.

O clementissime *Jesu*, te deprecor per pretiosum sanguinem tuum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas.

O Anima Christi sanctifica me: O Sanguis Christi purifica me; Corpus Christi salvà me; Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O bone *Jesu* exaudi me intra Vulnera tua absconde me; ne permittas, O bone *Jesu*, me separari à te, in hora mortis meæ voca me; jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula.

O Creator & Redemptor meus, *Jesu* Christe; totum me tibi dedo, non me reiicias: Ad te venio, non me repellas.

Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Ne perdat me iniquitas mea, quem creavit omnipotens bonitas tua.

Respice in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Iesu Christe, rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantē in te: miseP 6 re-

rere mei pleni miseriis & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata.

Salve nobilis & pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti.

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri *Jesu* Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Ecce video te, mî dulcissime Salvator, pendentem in cruce, extensis brachiis & inclinato capite, quasi nos amplexari paratum, & blandissima voce nos omnes invitantem; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:

Ecce venio Domine; Fac mihi secundum verbum tuum: & refice me: venio enim lassus, & onustus pōdere peccatorum meorum; Fac bonitatem cum servo tuo, qui languores & labores nostros in cruce portasti

(***)

Piæ

Piæ & nervosæ
ASPIRATIONES
Agonizantibus utilissimæ.

O Pater æterne; ego sum indignissimus servus ille; quem sic dilexisti, ut Filium tuum Vnigenitum dares pro eo. Fac in hora hac misericordiam cum servo tuo, ne pereat in me pretiosus sanguis ejus. Nam quæ utilitas mihi in sanguine Redemptoris, si ego descendero in corruptionem?

O *Jesu* Christe, Ego sum ovis illa perdita, quam tu relictis 99. in deserto, tam laboriosè quæsivisti, & impositam humeris reduxisti. Tu es Pastor bonus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Erravi sicut ovis quæ periit, Require servum tuum. Ne permittas, ut eam rapiat, qui circuit modò tanquam leo rugiens, & quærens quem devoret. De ore leonis libera me Domine, &c.

O *Jesu* ego sum miser ille, qui descendens de Ierusalem, incidi in latrones, & acceptis multis plagis, semivivus relictus sum. Tu vero es medicus meus, & verus ille Samaritanus qui misericordia motus super me, alligasti vulnera mea: imò qui ex sanguine & vulneribus tuis mihi medicinam parasti. Tu es qui lan-

guores nostros portasti, & cujus livore sanati sumus. Miserere mei Domine in hac ultima hora mea; Domine ad ad juvandum me festina; priusquam moriatur anima mea & pereat in æternum. O *Jesu*, Ego sum infelix ille peccator, & reus multorum criminum. Tu verò es Advocatus meus apud Patrem, & propitiatio pro peccatis meis. Non enim vis mortem peccatoris, sed ut vitam habeat. Venisti in hunc mundum peccatores salvos facere. Fac ergò mecum misericordiam in hac extrema hora vitæ meæ. Esto Mediator & Advocatus meus apud Patrem. O bone *Jesu*, propitius esto mihi peccatori, &c. In manus tuas Domine commendo spiritum meum, &c.

ORATIO

A circumstantibus dicenda pro animam agentibus.

CHriste *Jesu* crucifixe, in unione ferventissimi amoris, qui te vitam omnium viventium in cruce mori coëgit pulsamus ad medullam benignissimi cordis tui, & rogamus, ut animę famuli tui, fratris nostri N. peccata omnia dimittas, & tua sanctissima cõversatione, & tuæ acerbissimæ passionis merito omis-

omissa ejus suppleas eumque superabundantissimum miserationum tuarum multitudinem faciasexperiri, nosque omnes, & singulariter hunc fratrem nostrum N. quem proxime vocare disponis, placito tibi modo præpares, eique præstes, ut cum vera patientia, perfecta resignatione, plena peccatorum remissione, validissima fide, spe firma, & integra Charitate, in perfectissimo statu, in dulcissimum amplexum, & suavissimum osculum tuum feliciter ad tuam æternam laudem expiret.

Eja dulcissime Redemptor, Domine Iesu, per illas lachrymabiles voces, quas in cruce moriturus edidisti, & passionis doloribus consumptus dixisti; *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti*, ne quæso longe facias à famulo tuo fratre nostro N tuæ miserationis auxilium, nam ille in hac hora & momento extremæ afflictionis, præ defectione animi & consumptione spiritus te invocare non valet.

Per triumphum sanctæ Crucis & per mortis passionisque tuæ infinitum meritum cogita Domine, de eo cogitationes pacis & non afflictionis, sed misericordiæ & consolationis. Libera eũ de omnibus anguſtiis, tuisque sanctissimis manibus, quas pro eo nobisq; omnibus

in

in cruce clavis affigi permisisti, IESV bone & amantissime Pater, erue eum à tormentis illi debitis, & perduc illum in requiem æternam. Amen.

PIO LECTORI.

HIc jam PARADISUM *claudimus pie* LECTOR, *quo te sic uti precor, & hortor, ut ad Alterum tibi sternat viam; & migraturus hinc, audire merearis & tu.* HODIE MECUM ERIS IN PARADISO.

Sed iterum repeto, quod initio monui, materias singularum Sectionum, præcipuè hujus postremæ, fusius leguntur in ipso Paradiso.



EPI-

HOMINIS CHRISTIANI,
VITAE REGULAM EXPRIMENS,

D. O. M.

Siste gradum Viator;
HIC TERMINUS VIÆ, ET VITÆ, TVÆ, AC MEÆ.
ILLE EGO QUI NATUS PRIDEM
AC NOTUS ERAM SÆCULO.
En denatus hoc jam lateo nudus
nullusque Sepulchro.
PULVIS, CINIS, ESCA VERMIUM.
VIXI ANNIS (N) PAUCIS,
SI SPECTETUR ÆTERNITAS;
Ad hanc tamen currendum mihi fuit in
stadio fugacis vitæ,
TEMPUS VIVENDI, ut *BENE MORERER*,
& VITAM MERERER IMMORTALEM.
Dedit mihi, & dat etiamnum tibi clemens DEUS.
ILLIUS, & OMNIUM QUOQUE MOMENTORUM
STRICTA à ME JUSTO JUDICI reddenda
fuit ratio;
UTIQUE ERIT ET TIBI.
VIXI IN EO (N) STATU
AC ID (N) MUNUS GESSI.
Qui mihi HONOS, idem ONUS fuit;
ô molestum & grave!
Miserum, esse qui non CAPIANT;
Mirum, non deesse qui CUPIANT.
O QUAM ME JUSSIT RIGIDAM
SUPREMUS PATERFAMILIAS
REDDERE RATIONEM VILLICATIONIS
MEÆ!

SI

SI SAPIS, ET CREDIS AMICO SYNCERE MONENTI,
Huc tu quoque te para Quotidie;
NAM ex meo periculo te cautum reddi; felicis simul & sapientis erit.

POSSEDI DE TERRAE BONIS MODICA;
(*Attamen* satis *ad* Usum Vitæ, satis ad Votum, *quod* NECESSITAS *rexit*, *non* Cupiditas.)
Etiam horum, ad noviſſimum uſque quadrantem reddenda fuit ratio.

Eſto, Res ANGVSTA *fuit mihi;*
ſed (experto fas eſt credere)

Sic tutius ad AVGVSTA *pergitur.*
O Viri DIVITIARUM theſaurizatis;
& ignoratis cui!
EGO NIHIL INTVLI IN HVNC MVNDVM. NIHIL EXTVLI.

Quod in Cœlum præmiſi per manus PAUPERUM, *Inveni*; & hoc SOLUM:
Vos ſimiliter cum dormieritis SOMNUM veſtrum, aliud invenietis nihil.

O AMICI VIVITE LAETI; AT NON IMMEMORES LETHI;
En quondam lætus vobiſcum, vos jam reliqui, & à vobis relictus.

INIVI SOLUS ÆTERNITATIS ITER. QUOD ESTIS, FUI: QUOD SUM, ERITIS; QUIS SCIT AN CRAS, AN HODIE, AN HAC IPSA FORSAN HORA.
Memores eſtote judicii mei, ſic enim erit & veſtrum.

O HO-

O HOMO BULLA, QUAM BREVIS HÆC VITA! QUAM LONGA ÆTERNITAS!

VERE MOMENTUM UNDE PENDET AETERNITAS;

Æternitas GLORIÆ & POENÆ.

Ad illam VIRTVS ducit;

Ad hanc VOLVPTAS.

ELIGE, SEMEL PERISSE, ÆTERNUM EST.

HOC POSTREMVM TE ALLOQVOR;
Desiderans te habere consortem mecum in Terra Viventium, unà cum Christo JESU.
In quo solo SALUS est & VITA Mortalium.

ILLI ô VIATOR VIVE, ILLI MORERE, ET ÆTERNVM VIVES;

ANTE MORTEM MORI VITIIS, mors est optima.

BEATI MORTVI, QVI IN DOMINO MORIVNTVR.

JOANNES KINCHIUS Bibliopola Colon. Autoris p.m. amicus intimus,

BENEVOLO LECTORI.

HOC quod hic damus EPITAPHIUM, aliàs R.D. JACOBUS Merlo-Horstius SS Theol. Licentiatus, sibimetipse conscripsit, qui postquam viginti & unum omnino annos vigilantissimi Pastoris munus in Parochiali Ecclesia B V. MARIÆ in Pasculo Coloniæ gesserat, & modico cõtentus dicere solitus; *Dominus regit me & nihil mihi deerit,*

hi decerit, in loco PASCVÆ ibi me collocavit, anno tandem ætatis suæ 47 Christi verò nati 644 die 20. Aprilis multis opusculis spiritualibus editis, & S. Bernardi operibus illustratis, clarus, suam cũ morte piè transactam vitam commutavit: Verum, ut nullo negotio tuum id quoque fieret sub cujusvis CHRISTIANI HOMINIS nomine illud tibi à se pariter conscriptum, uti vivus, ita & mortuus offert, & mortis horam ob oculos semper habens, Extremum valedicens, manu propria hæc verba subscripta reperta,

JAM VOBIS VALEDICO,

AMICI,

NON IN LONGUM TEMPUS,

BREVE EST, QUIDQUID AEVI

SUPEREST,

PRÆEO, SEQUIMINI.

(***)



ITINERARIVM.

In ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat in singulari: si cum sociis in plurali.

Antiph. In viam pacis.
Cantic. Benedictus Dominus Deus Israël.
In fine, Gloria. *Postea repetatur Antiphona.*
In viam pacis & prosperitatis dirigat me, *si fuerit solus* (nos, *si fuerint socii*) omnipotens & misericors Dominus & Angelus Raphaël comitetur mecum (*vel* nobiscum) in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertar (*vel* revertamur) ad propria.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster *secretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A fa-

℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie.
℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.
℣. Vias tuas Domine demonstra nobis.
℟. Et semitas edoce nos.
℣. Vtinam dirigantur viæ nostræ.
℟. Ad custodiendas justificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Vt custodiant te in omnibus viis tuis
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum: ut Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus

DEus qui Abraham, puerum tuum, de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris. Esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, & in pluvia, & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: ut te Duce, quo tendimus prosperè perveniamus; & demum incolumes ad propria redeamus.

ADesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus: ut familia tua per viam salutis incedat; & B. Ioannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura pervenit Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine Domini. Amen.

FINIS

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788775081/phys_0404
DFG

VESPERAE
PRO DOMINICA
ET
FERI[illegible] HEBDOMADÆ,
[illegible]à cum Completorio.

Dominica ad Vesperas.

Psalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos; scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principiũ in die virtutis tuę in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Iuravit Dominus, & non pœnitebit eũ: Tu es sacerdos in æternũ, secundùm ordinẽ Melchisedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

Psalmus 140.

COnfitebor tibi Domine in to-

to corde meo: in cõsilio justorum, & congregatione.

Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operũ suorum annuntiabit populo suo.

Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum ejus veritas & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi: facta in veritate & æquitate.

Redemptionẽ misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus III.

BEatus vir qui timet Dominũ: in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Gloria & divitiæ in domo ejus; & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ex-

Exortum est in tenebris lumen rectis : misericors, & miserator, & justus.

Jucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non cõmovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi : cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet : desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum : laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum : ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum : laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : & super cælos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : & humilia respicit in cœlo & in terra?

Suscitans à terra inopem : & de

stercore erigēs pauperem.

Vt collocet eum cum principibus; cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 113.

IN exitu Israel de AEgypto: domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudæa sanctificatio ejus: Israel potestas ejus.

Mare vidit, & fugit: Iordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverũt ut arietes: & colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quòd fugisti: & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra: à facie Dei Iacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant gentes, Vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non

non audient: nares habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusillis cum maioribus.

Adiiciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.

Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominũ.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernũ.

Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nũc & usque in sæculũ.

Gloria Patri, & Filio.

Canticum B. Mariæ Virginis. Luc. 1.

MAgnificat: anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus

ritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Esurientes Implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, & Filio.

Feria Secunda ad Vesperas.

Psalmus 114.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem & dolorem inveni: & nomen Domini invocavi.

O Domine libera animam meam: misericors Dominus & justus, & Deus no-

noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino: in regione vivorum.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini in medio tui Ierusalem.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multũ incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacẽ, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos in mõtes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormiter qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neq; dormiet: qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manũ dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Do-

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio.

Feria tertia ad Vesperas.

Psalmus 121.

LAEtatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Ierusalem.

Ierusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 122.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in cælis.

Ecce sicut oculi seruorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus domi-

minæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione.

Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

Psalmus 123.

NIsi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos: fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irasceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionē dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est: de laqueo venantium.

Laqueus contritus est: & nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 124.

QVi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æter-

æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes incircuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorũ: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis: & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrũ: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, &c. Filio.

Sicut erat in principio.

Feria Quarta ad Vesperas.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: frustrà vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

Psalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis beatus es, & benè tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filio-

filiorum tuorũ: pacem super Israel.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 128.

SAEpè expugnarunt me à juventute mea: dicat nunc Israel.

Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: confundantur & cõvertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnũ tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam qui metit: & sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benedximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:

sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israel in Domino.

Quia apud Dominũ misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel : ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri , & Filio.

Psalmus 130.

DOmine , non est exaltatum cor meum: neq; elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis :neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino : ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri , & Filio.

Feria Quinta ad Vesperas.

Psalmus 131.

MEmento Domine David: & omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino : votum vovit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis donec in-

inveniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam: tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam: & sancti exultent.

Propter David servum tuum: non avertas faciem Christi tui.

Iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eũ: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum: & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum: sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicã: pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: & sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induã cõfusione: super ipsum autẽ efflorebit sãctificatio mea.

Glo-

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

Psalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: & vitam usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 134.

LAudate nomen Domini: laudate servi Dominum.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave.

Quoniam Iacob elegit sibi Dominus: Israel in possessionem sibi.

Quia ego cognovi quòd magnus est Dominus: & Deus noster præ omnibus diis.

Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo & in terra: in mari, & in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis qui percussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus.

Et misit signa & pro-

prodigia in medio tui Aegypte: in Pharaonem, & in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan: & omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hereditatem: hereditatem Israel populo suo.

Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generationem & generationem.

Quia judicabit Dominus populum suum: & in servis suis deprecabitur.

Simulacra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.

Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominũ, benedicite Domino.

Benedictus Dominus ex Sion: qui habitat in Ierusalẽ.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 135.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo deo-

deorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternũ misericordia ejus.

Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternũ misericordia ejus.

Qui firmauit terram super aquas: quoniam in æternũ misericordia ejus.

Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia ejus.

Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia ejus.

Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui eduxit Israel de medio eorũ: quoniam in æternum misericordia ejus.

In manu potenti, & brachio excelso: quoniam in æternũ misericordia ejus.

Qui diuisit mare rubrum in diuisiones: quoniã in æternũ misericordia ejus

Et eduxit Israel per mediũ ejus: quoniam in æternum misericordia ejus.

Et excussit Pharaonem, & virtutem ejus in mari rubro: quoniam in æternũ misericordia ejus.

Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericor-

ricordia ejus.

Qui percussit reges magnos quoniam in æternum misericordia ejus.

Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia ejus.

Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia ejus.

Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternũ misericordia ejus

Hereditatem Isra. el servo suo: quoniam in æternum misericordia ejus.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia ejus.

Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino Dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 126.

SVper fluminaBabylonis, illic sedimus & flevimus: cùm recordaremur Sion.

In salicibus in medio ejus: suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos, qui capti-

captivos duxerunt nos: verba cantionũ.

Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena

Si oblitus fuero tui Ierusalem: oblivioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui

Si non proposuero Ierusalẽ: in principio lætitiæ meæ.

Memor esto Domine filiorum Edom: in die Ierusalem.

Qui dicunt, Exinanite, exinanite: usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuã, quam retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit: & allidet parvulos ad petram.

Gloria Patri, &c.

Feria Sexta ad Vesperas.

Psalmus 137.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei

In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: quoniá magnificasti super omne, nomen sanctũ tuũ.

In quacumq; die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutẽ

Con-

Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & super iram inimicorũ meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 138.

DOmine probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculũ meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua ejus.

Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eã.

Quò ibo à spiritu tuo: & quò à facie tua fugiam?

Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas

nas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ nõ obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis cõfortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabũtur, exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate ciuitates tuas.

Nonne qui oderũt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

Per-

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum interroga me, & cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 139.

Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant prœlia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me,

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino, Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

Domine Domine, virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitauerũt cõtra me, ne derelinquas me, ut fortè exaltentur.

Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos car-

carbones, in ignem deiicies eos: in miseriis non subsistent.

Vir linguosus nō dirigetur in terra: virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis: & vindictam pauperum.

Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 140.

DOmine clamavi ad te, exaudi me: intende voci meæ, cùm clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuū mearum sacrificium vespertinum.

Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audiēt verba mea, quoniam potuerūt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissi-

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum : quia ad te DOMINE DOMINE oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi: & à scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores; singulariter sum ego, donec transeam.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 141.

VOce mea ad DOMINUM clamavi : voce mea ad DOMINUM deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognovisti semitas meas.

In via hac qua ambulabam: absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.

Periit fuga à me: & non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te DOMINE : dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me : quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad

confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

Gloria Patri, & Filio.

Sabbato ad Vesperas.

Psalmus 143.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium: & digitos meos ad bellum.

Misericordia mea & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.

Protector meus, & in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt.

Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.

Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regi-

regibus: qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Quorum filij sicut novellæ plantationes in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ: circumornatę ut similitudo templi.

Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ: neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 144.

EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis.

Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis

tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt: & justitia tua exultabunt.

Miserator & misericors Dominus: patiens, & multùm misericors.

Suavis Dominus universis: & miserationis super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.

Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generatione.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes qui corruunt: & erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in om-

omnibus operibus suis.

Propè est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet: & deprecationē eorum exaudiet, & salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominū in vita mea: psallā Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus: in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cujus Deus Iacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillũ & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion: in generationem & generationem.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 140.

LAudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

AEdificans Ierusalem Dominus dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum: & pullis coruorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Be-

Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 147.

LAuda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ

Qui annuntiat verbum suum Iacob: justitias & judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

***

AD COMPLETORIUM.

Benedictio. Noctem quietem, & finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.

℟. Amen.

Lectio brevis. 1. *Petr.* 5.

FRatres sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

Pater noster, *dicatur totum secreto.*

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio.

Sicut erat in principio.

Psalmus 4.

CUm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meę: in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei: & exaudi orationem meam. Filii hominum usquequò gravi corde?

de: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit *Dominus* sanctum suum: *Dominus* exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in *Domino*: multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui *Domine*: dedisti lætitiá in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam, & requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Psalmus 30.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es pro-

rector meus.

In manus tuas cõmendo spiritum meum : redemisti me Domine Deus veritatis.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Psalmus 90.

QVi habitat in adjutorio Altissimi : in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi : & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis : & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eũ: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Psalmus 133.

Ecce nunc benedicite Dominum: omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Hymnus.

TE lucis ante terminum,
Rerum creator poscimus,
Vt solita clementia
Sis præsul ad custodiam.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum cõprime,
Ne

Ne polluantur corpora.
Præsta Pater omnipotens,
Per Iesum Christũ Dominum,
Qui tecum in peruum
Regnat cum sancto Spiritu. Amen.

CAPITVLVM.

Jerem. 14.

TV autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos Domine Deus noster.

℟. Deo.

℣. In manus tuas Domine, commendo spiritum meum.

℟. Redemisti nos Domine Deus veritatis.

℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Canticum Simeonis.

Lucæ 2.

NVnc dimittis servum tuum Domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Antiph. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes:

entes: ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

℣. Domine exaudi

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum.

℣. Benedicamus Domino.

orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

℟. Deo Gratias.

Benedictio. Benedicat & custodiat nos omnipotens & misericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

℟. Amen.

Et non dicitur, Fidelium animæ, *sed immediate dicitur una ex infrascriptis Antiphonis pro tempore.*

HYMNI
AD VESPERAS
PER TOTUM ANNUM.

In Dominicis & Feriis Adventus Domini.

Hymnus.

COnditor alme siderum, Aeterna lux credentium, Christe redemptor omniũ, Exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu Mortis perire sæculum, Salvasti mundum languidum, Donans reis remedium.

Vergente mundi vespere, Vti sponsus de thalamo, Egressus honestissima Virginis matris clausula.

Cujus forti potentiæ Genu curvantur omnia, Cælestia, terrestria, Nutu fatentur subdita.

Te deprecamur agie, Venture judex sęculi, Conserva nos in tempore, Hostis à telo perfidi.

Laus, honor, virtus, gloria Deo Patri, & Filio, Sancto simul Paraclito, In sæculorum sæcula. Amen.

In Nativitate & Circumcisione Domini, & in Dominicis, usque ad Epiphaniam.

Hymnus.

CHriste redemptor omnium Ex Patre Patris, Vnice, Solus ante principium, Natus ineffabiliter.

Tu lumen, tu splēdor Patris, Tu spes perennis omnium, Intende quas fundunt preces Tui per orbem famuli.

Memento salutis auctor, Quod nostri quondam corporis, Ex illibata Virgine Nascendo, formam sumpseris.

Sic præsens testatur dies, Currens per anni circulum, Quod solus à sede Patris Mundi salus adveneris.

Hunc cælum, terra, hunc mare,

Hunc

Hunc omne quod in eis est, Auctorem adventus tui Laudans exultat canticо.

Nos quoque, qui sancto tuo Redempti sanguine sumus, Ob diem natalis tui Hymnum novum concinimus.

Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine, Cum Patre & sancto Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

In festo sanctorum Innocentium. Hymnus.

SAlvete flores Martyrũ, Quos lucis ipso in limine Christi insecutor sustulit, Cœu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima, Grex immolatorum tener Aram ante ipsam simplices Palma & coronis luditis.

Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine, Cum Patre & sancto Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

In Epiphania Domini, & per Octavam. Hymnus.

HOstis Herodes impie, Christum venire quid times? Non eripit mortalia, Qui regna dat cælestia.

Ibant Magi, quam viderant Stellam sequentes præviam: Lumen requirunt lumine, Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis; Cælestis Agnus,

nus attigit: Peccata quæ non detulit, Nos abluendo fustulit.

Novum genus potentiæ, Aquæ rubescunt hydriæ, Vinumque jussa fundere, Mutavit unda originem.

Gloria tibi Domine, Qui apparuisti hodie, Cum Patre & sancto Spiritu, In sæculorum sæcula. Amen.

Hymni in Dominicis & Feriis videlicet à secunda post Epiphan usque ad primam Quadrages. & à tertia post Pentecosten, usque ad Adventum habentur supra in vesperis, suis quique diebus.

In Dominicis & Feriis Quadrages. usque ad Dominicam Passionis incipiendo in Sabbato post Cineres.

Hymnus.

AVdi benigne conditor Nostras preces cum fletibus, In hoc sacro jejunio Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium, Infirma tu scis virium: Ad te reversis exhibe Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus, Sed parce confitentibus Ad laudem tui nominis Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri Dona per abstinentiam; Ieiunet ut mens sobria A labe prorsus criminum.

Præsta beata Trinitas Concedesimplex Vnitas; Vt fructuo-

ctuosa sint tuis Iejuniorum munera. Amen.

Sequens Hymnus dicitur à Dominica Passionis usque ad Feriam quintam in Cœna Domini.

In festo inventionis S. Crucis, 3. Maii *sed ubi dicitur*, Hoc passionis tempore: *dicatur*, In hoc Paschali gaudio.

In festo exaltationis S. Crucis, 14. Septem. *dicitur*, In hac triumphi gloria.

Hymnus.

VExilla regis prodeunt, Fulget crucis mysterium, Quo carne carnis conditor Suspensus est patibulo.

Quo vulneratus insuper, Mucrone diro lanceæ, Ut nos lavaret crimine, Manavit unda & sanguine.

Impleta sunt quæ concinit David fideli carmine, Dicens, In nationibus Regnavit à ligno Deus.

Arbor decora & fulgida, Ornata Regis purpura, Electa digno stipite Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis Sæcli pependit pretium, Statera facta corporis Prædamque tulit tartari.

O crux ave spes unica, Hoc passionis tempore Auge piis justitiam, Reisque dona veniam.

Te summa Deus Trinitas, Collaudet omnis spiritus: Quos per crucis mysterium Salvas, rege per sæcula. Amen.

In

In Dominicis & Feriis ab Octava Paschæ usque ad festum Ascensionis Domini.

Hymnus.

AD cœnam Agni providi, Et stolis albis candidi, Post transitum maris Rubri, Christo canamus Principi.

Cujus corpus sanctissimum, In ara crucis torridum, Cruore ejus roseo Gustando vivimus Deo.

Protecti Paschæ vespere A devastante Angelo, Erepti de durissimo Pharaonis imperio.

Iam Pascha nostrum Christus est, Qui immolatus Agnus est, Sinceritatis azyma, Caro ejus oblata est.

O verè digna hostia, Per quam fracta sunt tartara, Redempta plebs captivata, Reddita vitæ præmia.

Consurgit Christus tumulo, Victor redit de barathro, Tyrannum trudens vinculo, Et paradisum reserans.

Quæsumus auctor omnium, In hoc Paschali gaudio, Ab omni mortis impetu Tuum defende populum.

Gloria tibi Domine, Qui surrexisti à mortuis; Cum Patre & sancto Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

In Ascensione Domini, & in aliis diebus sequentibus usque ad Pentecosten.

Hymnus.

Jesu nostra redemptio, Amor & desiderium: Deus creator omnium, Homo in fine temporum.

Quæ te vicit clementia, Vt ferres nostra crimina, Crudelem mortem patiens, Vt nos à morte tollores:

Inferni claustra penetrans, Tuos captivos redimens.

Victor triumpho nobili, Ad dextram Patris residens:

Ipsa te cogat pietas, Vt mala nostra superes Parcendo, & voti compotes Nos tuo vultu satiees.

Tu esto nostrum gaudium, Qui es futurus præmium: Sit nostra in te gloria Per cuncta semper sæcula. Amen.

In festo Pentecostes, & per Octavam.

Hymnus.

Veni creator Spiritus, Mentes tuorum visita, Imple superna gratia, Quæ tu creasti pectora.

Quia Paraclitus diceris, Donum Dei altissimi Fons vivus, ignis, charitas, Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, Dextræ Dei tu digitus, Tu rite promissum Patris, Sermone ditans guttura.

Ac-

Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibus; Infirma nostri corporis, Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, Pacemque dones protinus; Ductore sic te prævio Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, Noscamus atque Filium, Te utriusque Spiritum Credamus omni tempore.

Gloria Patri Domino, Natoque, qui à mortuis Surrexit, ac Paraclito, In sæculorum sæcula. Amen.

In festo SS. Trinitatis.

Hymnus.

O Lux beata Trinitas, Et principalis unitas; Iam sol recedit igneus, Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine, Te deprecemur vespere; Te nostra supplex gloria Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu paraclito, Et nunc & in perpetuum. Amen.

In festo Corporis Christi, & per Octavam.

Hymnus.

PAnge lingua glorioſi Corporis mysterium; Sanguinisque pretioſi, quem in mundi pretium Fructus ventris generoſi Rex effudit gentium.

No-

Nobis datus, nobis natus Ex intacta Virgine, Et in mundo cõversatus, Sparso verbi semine, Sui moras incolatus Miro clausit ordine.

In supremę nocte cœnę, Recumbens cum fratribus, Observata lege plene Cibis in legalibus, Cibum turbæ duodenæ Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum Verbum cárnem efficit: Fitque sanguis Christi merum, Et si sensus deficit: Ad firmandum cor sincerum Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum Veneremur cernui: Et antiquum documentũ Novo cedat ritui: Præstet fides supplementum Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque Laus & jubilatio, Salus, honor, virtus quoque Sit & benedictio: Procedenti ab utroq; Cõpar sit laudatio. Amen.

In festo Cathedræ sancti Petri. 18. Ianuarii. & 22 Februarii.

Hymnus.

QVodcumque vinclis super terram strinxeris, Erit in astris religatũ fortiter; Et quod resolves interris arbitrio, Erit solutum super cæli radium: In fine mundi judex eris sæculi.

Gloria Patri per immensa sæcula, Sit tibi, Nate, decus & imperium, Honor,

nor, potestas, sanctoque Spiritui: Sit Trinitati salus inmdividua, Per infinita sæculorum sæcula. Amen.

In Conversione & Commemoratione sancti Pauli. 25. Ianuarii. & 30. Iunii.

Hymnus.

DOctor egregie Paule, mores instrue, Et mente polum nos transferre satage: Donec perfectum largiatur plenius, Evacuato quod ex parte gerimus.

Sit Trinitati sempiterna gloria, Honor, potestas, atque jubilatio, In unitate; cui manet imperium Ex tunc, & modo, per æterna sæcula Amen.

In omnibus festivitatibus beatæ Mariæ Virg.

Hymnus.

AVe maris stella, Dei mater alma, Atque semper virgo, Felix cæli porta.

Sumens illud Ave, Gebrielis ore, Funda nos in pace, Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis, Profer lumen cæcis, Mala nostra pelle, Bona cũcta posce.

Monstra te esse matrem, Sumat per te preces, Qui pro nobis natus Tulit esse tuus.

Virgo singularis, Inter omnes mitis, Nos culpis solutos, Mites fac & castos.

Vi-

Vitam præsta puram, Iter para tutum, Vt videntes Iesum, Semper collætemur.

Sit laus Deo Patri, Summo Christo decus, Spiritui sancto, Tribus honor unus. Amen.

In Nativitate S. Ioannis Baptistæ, & per Octavam. 24 Iunii.

Hymnus.

UT queant laxis resonare fibris Mira gestorum famuli tuorum, Solve polluti labii reatum Sancte Ioannes.

Nuntius celso veniens olympo, Te patri magnum fore nasciturum; Nomen & vitæ seriem gerendæ, Ordine promit.

Ille promissi dubius superni Perdidit promptæ modulos loquelæ: Sed reformasti genitus peremptæ Organa vocis.

Ventris obstruso recubans cubili Senseras Regem thalamo manentem: Hinc parens nati meritis uterque Abdita pandit.

Gloria Patri, genitæque Proli, Et tibi compar utriusque semper Spiritus alme, Deus unus, omni Tempore secli. Amen.

In festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. 29. Iunii.

Hymnus.

AUrea luce, & decore roseo, Lux lucis

lucis omne perfudisti seculum; Decorans cælos inclyto martyrio, Hæc sacra die, quæ dat reis veniam.

Ianitor cæli, doctor orbis pariter, Iudices sæcli, vera mundi lumina; Per crucem alter, alter ense triumphans, Vitæ senatum laureati possident.

O felix Roma, quæ tantorum Principum Es purpurata pretioso sanguine! Non laude tua, sed ipsorum meritis Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Sit Trinitati sempiterna gloria, *ut suprapag.* lxix.

Per Octavam Apostolorum Petri & Pauli, dicitur Hymnus de Communi Apostolorum.

In festo S. Mariæ Magdalenæ. 22. Iulii. Hymnus.

PAter superni luminis, Cum Magdalenam respicis, Flammas amoris excitas, Geluque solvis pectoris.

Amore currit saucia Pedes beatos ungere, Lavare fletu, tergere Comis, & ore lambere.

Adstare non timet cruci, Sepulchro inhæret anxia, Truces nec horret milites: Pellit timorem charitas.

O vera, Christe, charitas, Tu nostra purga crimina, Tu corda reple gratia, Tu redde Cæli præmia.

Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu para-

raclito, Et nunc & men.
in perpetuum. A-

In festo S. Petri ad Vincula. 1. Augusti.

Hymnus.

PEtrus beatus catenarum laqueos Christo jubente rupit mirabiliter; Custos ovilis, & doctor Ecclesiæ, Pastorque gregis, conservator ovium, Arcet luporum truculentam rabiem.

Gloria Patri per immensa sæcula, Sit tibi, Nate, decus & imperium, Honor, potestas, sanctoque Spiritui: Sit Trinitati salus individua, Per infinita sæculorum sæcula. Amen.

In festo transfigurationis Domini. 9 Augusti.

Hymnus.

QVicũq; Christum quæritis, Oculos in altum tollite: Illic licebit visere Signum perennis gloriæ.

Illustre quiddam cernimus, Quod nesciat finem pati, Sublime, celsum, interminum, Antiquius cælo & chao.

Hic ille Rex est Gentium, Populique Rex Iudaici; Promissus Abrahæ patri, Ejusque in ævum semini.

Hunc & Prophetis testibus, Iisdemque signatoribus, Testator & Pater jubet

bet Audire nos & credere.

Gloria tibi Domine, Qui apparuisti hodie; Cum Patre & sancto Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

In festo S. Michaelis Archangeli.
29. Septemb.

Hymnus.

TIbi Christe splēdor Patris, Vita, virtus cordium, In conspectu Angelorum Votis, voce psallimus, Alternantes concrepando Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes Omnes cęli milites; Sed præcipuè primatem Cælestis exercitus, Michaëlem in virtute Conterentem zabulum.

Quo custode procul pelle, Rex Christe piissime, Omne nefas inimici; Mundo corde & corpore, Paradiso redde tuo Nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis Personemus vocibus; Gloriam Christo canamus, Gloriam Paraclito; Qui trinus & unus Deus Extat ante sæcula. Amen.

In festo omnium Sanctorum, & per Octavam,
1. Novemb.

Hymnus.

CHriste redemptor omnium, Conser-

va

va tuos famulos: Beatæ semper Virginis Placatus sanctis precibus.

Beata quoque agmina Cælestium spirituum, Præterita, præsentia, Futura mala pellite.

Vates æterni Iudicis, Apostolique Domini, Supplicitèr exposcimus Salvari vestris precibus.

Martyres Dei inclyti, Confessoresque lucidi, Vestris orationibus Nos ferte in cælestibus.

Chori sanctarum Virginum, Monachorumque omnium, Simul cum Sanctis omnibus Consortes Christi facite.

Gentem auferte perfidam Credentium de finibus, Vt Christo laudes debitas Persolvamus alacriter.

Gloria Patri ingenito, Ejusque Vnigenito, Vna cum sancto Spiritu, In sempiterna secula. Amen.

In natali Apostolorum vel Evangelistarum.

Hymnus.

EXultet cælum laudibus, Resultet terra gaudiis: Apostolorum gloriam Sacra canunt solemnia.

Vos sæcli justi judices, Et vera mundi lumina; Votis precamur cordium, Audite preces supplicum.

Qui cælum verbo clauditis, Seraf-

que ejus solvitis; Nos à peccatis omnibus Solvite jussu, quæsumus.

Quorum præcepto subditur Salus & languor omnium: Sanate ægros moribus, Nos reddentes virtutibus.

Ut cum judex advenerit Christus in fine sæculi, Nos sempiterni gaudii Faciat esse compotes.

Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio; Cum Spiritu paraclito, Et nunc & in perpetuum. Amen.

In Communi Apostolorum vel Evangelistarum tempore Paschali.

Hymnus.

TRistes erant Apostoli De nece sui Domini, Quẽ morte crudelissima Servi damnarant impii.

Sermone blando Angelus Prædixit mulieribus: In Galilæa Dominus Videndus est quantocius.

Illæ dum pergunt concitæ Apostolis hoc dicere; Videntes eũ vivere, Christi tenent vestigia.

Quo agnito, Discipuli In Galilæam propere Pergunt videre faciem Desideratam Domini.

Quæsumus auctor omnium, &c.

Gloria tibi Domine, *ut supra, pag.* lxiv.

***

In

In Natali unius Martyris.

Hymnus.

DEus tuorum militum, Sors, & corona, præmium, Laudes canentes Martyris Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia, Et blandimenta noxia Caduca ritè deputans, Pervenit ad cælestia.

Pœnas cucurrit fortiter, Et sustulit viriliter, Pro te effundens sanguinem Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici Te poscimus piissime, In hoc triumpho Martyris Dimitte noxam servulis.

Laus & perennis gloria Deo Patri & filio, Sancto simul Paraclito, In sempiterna sæcula. Amen.

In Natali plurim. Martyrum.

Hymnus.

SAnctorum meritis inclyta gaudia Pangamus socii, gestaque fortia: Nam gliscit animus promere cantibus Victorum genus optimum.

Hi sunt quos retinens mundus inhorruit: Ipsum nam sterili flore peraridum Sprevere penitus, teque secuti sunt, Rex Christe bone cælitus.

Hi pro te furias atque ferocia Calcarunt hominum, fævaque verbera: Cessit his lacerans fortiter ungula, Nec carpsit penetralia.

Cæduntur gladiis more bidentium, Non murmur resonat, non quærimonia; Sed corde tacito mens bene conscia, Conservat patientiam.

Quæ vox, quę poterit lingua retexere, Quæ tu Martyribus munera præparas? Rubri nam fluido sanguine laureis Ditantur bene fulgidis.

Te summa Deitas, unaque poscimus, Vt culpas abluas, noxia subtrahas, Des pacem famulis, nobis quoq; gloriam Per cuncta tibi sæcula. Amen.

Quæ vox, quę po-

In Communi plurimorum Martyrum tempore Paschali.

Hymnus.

REx glorioſe Martyrum, Corona confitentium, Qui reſpuentes terrea Perducis ad cæleſtia.

Aurem benignam protinus Appone noſtris vocibus; Trophæa ſacra pangimus, Ignoſce quod deliquimus.

Tu vincis in Martyribus, Parcendo Confeſſoribus; Tu vince noſtra crimina, Donando indulgentiam.

Gloria tibi Domine, Qui ſurrexiſti à mor-

à mortuis; Cum Patre & sancto Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

In Natali Confessorum.

Hymnus.

Iste Confessor Domini sacratus, Festa plebs cujus celebrat per orbem, Hodie lætus meruit secreta Scandere cæli.

Qui pius, prudens humilis, pudicus, Sobrius, castus fuit, & quietus, Vita dum præsens vegetavit e. jus Corporis artus.

Ad sacrum cujus tumulum frequenter Membra languentum modo sanitati, Quolibet morbo fuerint gravata, Restituuntur.

Vnde nunc noster chorus in honorem Ipsius, hymnum canit hunc libenter; Vt piis ejus meritis juvemur Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus, Qui supra cæli residens cacumen, Totius mundi machinam gubernat, Trinus & unus. Amen.

In Natali Virginum & Mart.

Hymnus.

Iesucorona Virginum, Quem mater illa concipit, Quæ sola virgo parturit, Hæc vota clemens accipe.

Qui pascis inter lilia, Septus choreis vir-

virginum, Sponsus decorus gloria, Spōsisque reddens præmia.

Quocumque pergis, virgines Sequuntur, atque laudibus Post te canentes cursitant, Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur largius, Nostris adauge sensibus, Nescire prorsus omnia Corruptionis vulnera.

Laus, honor, virtus, gloria, Deo Patri, & Filio, Sancto simul Paraclito, In sæculorum sæcula. Amen.

In Natali S. Martyris tantum, & nec virg. nec mart.

Hymnus.

FOrtem virili pectore Laudemus omnes feminam, Quæ sanctitatis gloria Vbique fulget inclyta.

Hæc Christi amore saucia, Dum mundi amorem noxium Horrescit, ad cælestia Iter peregit arduum.

Carnem domans jejuniis, Dulcique mentem pabulo Ora-tionis nutriens, Cæli potitur gaudiis.

Rex Christe virtus fortium, Qui magna solus efficis, Hujus precatu quæsumus, Audi benignus supplices.

Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu paraclito, Et nunc & in perpetuum. Amen

In

In Dedicatione Ecclesiæ.

Hymnus.

VRbs Ierusalem beata Dicta pacis visio, Quæ construitur in cælis Vivis ex lapidibus, Et Angelis coronata, Vt sponsata comite.

Nova veniens è cælo Nuptiali thalamo Præparata, ut sponsata Copuletur Domino: Plateæ & muri ejus Ex auro purissimo.

Portæ nitent margaritis Adytis patentibus: Et virtute meritorum Illuc introducitur Omnis qui ob Christi nomen Hic in mundo premitur.

Tunsionibus, pressuris Expoliti lapides, Suis coaptantur locis Per manus artificis, Disponuntur permansuri Sacris ædificiis.

Gloria & honor Deo, Vsquequaque altissimo, Vna Patri, Filioque, Inclyto Paracliro, Cui laus est & potestas Per æterna sæcula. Amen.

(†‡†)

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Introibo ad Altare Dei.

Minister.

Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea quare me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam,

S. Confitebor tibi in citharaDeus, Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me.

M. Spera in Deo, quoniam adhuc cõfitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.

S. Gloria patri & Filio, & Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

S. Et introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui

M. Qui fecit cœlum & terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti &c.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te in vitam æternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor. B. Mariam semper Virginem, B. Michaelē Archangelum, B. Ioannē Baptistā, sanctos Apostolos Petrū & Paulū, omnes sanctos & te Pater, orare pro me ad Dominū Deum nostrum.

S. Misereatur vestri omnipotēs, Deus &c

M. Amen.

S. Indulgentiā, absolutionē & remissionē omnium peccatorū nostrorū tribuat nobis omnipotēs & misericors dominus. M. Amen.

S. Deus tu cōversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostēde nobis Domine misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobis.

M. Et cū spiritu tuo

S. Auferà nobis, &c

M. Amen.

S. Kyrie eleison.

M. Kyrie eleison.

S. Ky-

S. Kyrie eleiſon.
M. Chriſte eleiſon.
S Chriſte eleiſon.
M. Chriſte eleiſon.
S. Kyrie eleiſon.
M. Kyrie eleiſon.
S. Kyrie eleiſon.
S. Dominus vobiſcum.
M. Et cum ſpiritu tuo.
S. Per omnia ſecula ſec,
M. Amen.
S Sequentia S. Evangeli ſecundum Matthæum.
M. Gloria tibi Domine.
M. Finito Evangelio, Laus tibi Chriſte.
S. Dominus vobiſcum.
M Et cum ſpiritu tuo,
S. Orate fratres.
M. Suſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam nominis ſui ad utilitatem quoque noſtram, totiuſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.
S Per omnia ſæcula ſæculorum.
M. Amen.
S. Dominus vobiſcum.
M. Et cum ſpiritu tuo.
S. Surſum corda.
M. Habemus ad Domin.
S. Gratias agamus Domino Deo noſtro.
M. Dignũ & juſtũ eſt &c Sanctus Dom.
S. Per omnia ſæcula ſæculorum.
M Amen.
S. Et ne nos inducas in tentationem.
M. Sed libera nos à malo.
S Per omnia ſæcula ſæculorum.
M. Amen.
S. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.
S. Et cum ſpiritu tuo.
Agnus Dei, &c.
S. Ite miſſa eſt.
M. Deo gratias.
S. Vel Benedicamus Domino.
M. Deo gratias, vel Requieſcant in pace.
M Amen
S. Benedicat vos omnipotens Deus Pater, & Filius, & ſpiritus Sanct,
M Amen.
S. Dominus vobiſcum.
M Et cum ſpiritu tuo.
S. Initium ſancti Evangelii ſecundum Ioannem.
Finito Evangelio.
M. Deo gratias
M. Gloria tibi Domine.
S. In principio, &c.

†‡†

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788775081/phys_0469
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788775081/phys_0472
DFG

va tuos famulos:
Beatæ semper Virginis Placatus sanctis precibus.

Beata quoque agmina Cælestium spirituum, Prætérita, præsentia, Futura mala pellite.

Vates æterni Iudicis, Apostolique Domini, Supplicíter expoſcimus Salvari vestris precibus.

Martyres Dei inclyti, Confessoresque lucidi, Vestris orationibus Nos Asferte in cælestibus.

In natali Apostolorum v

Hymn

EXultet cælum laudibus, Resultet terra gaudiis: Apostolorum gloriam Sacra canunt solemnia.

Vos sæcli justi ju

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788775081/phys_0473
DFG